3 1761 05972583 8

DA
670
C3R3
1909
pt.2

Cumberland and Westmorl
Antiquarian and Archæological Soci

The Episcopal Registers of Carlisle.

THE REGISTER OF BISHOP JOHN DE HALTON,

PART II., 1300-1309.

Transcribed and Edited by

W. N. THOMPSON,

Of St. Bees; Member of Council.

Issued to Subscribers by arrangement with

THE CANTERBURY AND YORK SOCIETY.

KENDAL:
TITUS WILSON, 28, HIGHGATE.

1909.

LIBRARY
JUL 4 1972
UNIVERSITY OF TORONTO

DA
670
C3R3
1909
pl. 2

[Fo. 23b.]

[CASTLE SOWERBY R.—*The Bishop of Durham presents Henry de Rither. His institution is deferred; and meanwhile he has a dispensation for three years absence.*]

Johannes miseracione divina Karliolensis episcopus dilecto in Christo filio domino Henrico de Rither, subdiacono, salutem, graciam, et benedictionem. Custodiam ecclesie parochialis de Soureby, nostre diocesis, ad quam per dominum episcopum Dunolmie, patronum ejusdem, nobis presentatus existis, tibi com- [illegible] et concedimus quod, si a

This number contains half again as much matter as part I., and is therefore increased proportionately in price. The Register will be completed in two further parts of the present size, which will include a full Index to the whole.

presbiter, ad presentacionem dicti domini Thome [illegible] diu que cantaria per magna tempora jam vacavit—, ad presentacionem domini Thome de Hellebek, nunc patroni ejusdem, te admittimus tibique ipsam cantariam cum omnibus suis pertinenciis, tibi perpetuo possidendam et singulis diebus (prout convenit) faciendam, committimus in hiis scriptis. Data apud Rosam, vij idus Septembris anno Domini M° CCC°.

Et super hoc habuit litteram inductionis archidiaconus Carlioli.

[*The Bishop names his attorneys for claiming clerks accused of felony.*]

LITTERA JUSTICIARIIS PRO GAYOLA DELIBERANDA DE CLERICIS.

Discretis viris dominis Adam de Crokedayk et Michaeli

LIBRARY
JUL 4 1972
UNIVERSITY OF TORONTO

[Fo. 23b.]

[CASTLE SOWERBY R.—*The Bishop of Durham presents Henry de Rither. His institution is deferred; and meanwhile he has a dispensation for three years absence.*]

Johannes miseracione divina Karliolensis episcopus dilecto in Christo filio domino Henrico de Rither, subdiacono, salutem, graciam, et benedictionem. Custodiam ecclesie parochialis de Soureby, nostre diocesis, ad quam per dominum episcopum Dunolmie, patronum ejusdem, nobis presentatus existis, tibi committimus atque curam. Volumus etiam et concedimus quod, si a sede apostolica dispensacionem super pluralitate beneficiorum habere poteris vel institucionem tuam canonicam recipere valeas cum effectu post festum Sancti Martini anno Domini M° CCC° primo, tibi dictam ecclesiam cum omnibus suis pertinenciis liberabimus ut rectori et te rectorem instituemus canonice in eadem; dispensantes vobiscum ut durante firma nostra ejusdem ecclesie nobis per vos dimisse ad tres annos pro non residencia non graveris, set interim licite te valeas absentare. Data apud Rosam, vj kalendas Septembris anno Domini M° trecentesimo.

[*After a long vacancy, Eudo de Appelby is appointed to the chantry of Brough under Stainmore.*]

COMMISSIO CAPELLE DE BURGO SUB MORA.

Johannes etc. dilecto in Christo filio domino Eudoni de Appelby, presbitero, salutem, graciam, et benedictionem. Ad cantariam, quam quondam dominus Thomas de Musegrave, miles, in villa de Burgo sub Mora perpetuis temporibus faciendam caritatis intuitu ordinavit certamque aream ipsi cantarie et alias terras et redditus dum vixerat assignavit, quos dominus W. de Askeby, presbiter, ad presentacionem dicti domini Thome tenuit—jam est diu que cantaria per magna tempora jam vacavit—, ad presentacionem domini Thome de Hellebek, nunc patroni ejusdem, te admittimus tibique ipsam cantariam cum omnibus suis pertinenciis, tibi perpetuo possidendam et singulis diebus (prout convenit) faciendam, committimus in hiis scriptis. Data apud Rosam, vij idus Septembris anno Domini M° CCC°.

Et super hoc habuit litteram inductionis archidiaconus Carlioli.

[*The Bishop names his attorneys for claiming clerks accused of felony.*]

LITTERA JUSTICIARIIS PRO GAYOLA DELIBERANDA DE CLERICIS.

Discretis viris dominis Adam de Crokedayk et Michaeli

de Harcla, justiciariis domini regis ad gayolam deliberandam in comitatu Cumberlandie specialiter deputatis, Johannes miseracione divina Karliolensis episcopus, salutem in salutis Auctore. Sciatis quod nos facimus magistrum R., custodem hospitalis Sancti Nicholai extra Karliolum, et dominum Adam, perpetuum vicarium ecclesie de Stanewegg, attornatos nostros et eorum alterum attornatum nostrum ad petendum et recipiendum omnes clericos coram vobis super criminibus furti, homicidii, et quibuscunque aliis irretitos, secundum preoptentas libertates ecclesiasticas per forum ecclesiasticum judicandos, cum cohercionis canonice potestate. In cujus rei testimonium sigillum nostrum presentibus est appensum. Data etc.

[*Form of commission to claim such clerks.*]

PROCURATORIUM AD PETENDUM CLERICOS CORAM JUSTICIARIIS DOMINI REGIS.

Universis pateat per presentes quod nos J. miseracione divina Karliolensis episcopus facimus, ordinamus, et constituimus dilectos nobis in Christo dominos A. de N. et W. de C., capellanos, procuratores nostros ad petendum et recipiendum ad forum ecclesiasticum in debita forma a dominis A. et B., de tali loco, militibus, justiciariis ad gayolam deliberandam in comitatu Cumbrie per breve regium specialiter deputatis, omnes clericos comprehensos, in carcere detentos, et super furto, homicidio, et ceteris criminibus irretitos in predicto comitatu coram ipsis; de quibus, videlicet, per litteraturam et tonsuram vel alias evidenter apparet et constat quod sunt clerici et secundum legem ecclesiasticam judicandi. Dantes eisdem et eorum alteri potestatem compellendi per censuram ecclesiasticam protervos et rebelles ad restitucionem clericorum quos petierint in hac forma. Injungimus etiam eisdem virtute sancte obediencie quod in prosequendo hujusmodi officium solliciti existant (vel existat) ne propter eorum negligenciam aut torporem a dictis justiciariis seu aliquibus aliis in prejudicium libertatis ecclesiastice aliquid presumatur. In cujus rei testimonium etc. Datum etc.

[*The clergy of the diocese of Carlisle appoint Henry de St. Nicholas as their proctor at the court of Rome to advocate a new taxation of their benefices, owing to their losses through Scottish invasions, etc. See Raine's "Letters and Papers", p. 145.*]

Universis pateat per presentes quod nos, clerus civitatis et diocesis Karliolensis, dilectum nobis in Christo dominum Henricum

dictum de Sancto Nicholao, presbiterum, latorem presencium, ad exponendum statum nostrum in curia Romana; et ad impetrandum pro nobis litteras, graciam et simplicem justiciam continentes; et ad prosequendum negocia nostra ibidem de remedio habendo super combuscionibus et depredacionibus nobis factis per Scotos; et de ecclesiis nostris, per Scotos diversis vicibus destructis et combustis, per collectores decime in regno Anglie deputatos de novo taxandis, procuratorem nostrum facimus et constituimus per presentes. Dantes eidem specialem potestatem premissa omnia et singula faciendi et in curia Romana prosequendi. Cauciones, rem ratam haberi et judicatum solvi pro eodem sub ypotheca rerum nostrarum promittimus et exponimus in hiis scriptis. Hec omnibus et singulis quorum interest tenore presencium intimamus. In cujus rei testimonium sigillum venerabilis patris domini Johannis Dei gracia Karliolensis episcopi procuravimus litteris hiis apponi. Datum Karlioli, ij kalendas Octobris anno Domini etc. CCC°.

[LAZONBY V.—*Collation of William de Haluton.*]

INSTITUCIO DOMINI WILLELMI DE HALUTON, PRESBITERI, IN VICARIA DE LEYSINGBY; SUPER QUA DIRECTA EST LITTERA ARCHIDIACONO.

Johannes miseracione divina etc. dilecto in Christo filio domino Willelmo de Haluton, presbitero, salutem, graciam, et benedictionem. Vicariam ecclesie parochialis de Leysingby, nostre diocesis, vacantem et ad nostram collacionem spectantem, tibi conferimus intuitu caritatis teque vicarium perpetuum in forma juris instituimus in eadem, salva ecclesie nostre Karlioli in omnibus dignitate. Data apud Rosam, vij kalendas Januarii anno Domini M° CCC° et pontificatus nostri nono.

[*The Bishop makes known that Reginald de Cumbresdal has remained under sentence of the greater excommunication for 40 days and more. He is, therefore, to be avoided.*]

J. miseracione divina etc. dilectis in Christo filiis omnibus et singulis per nostram diocesim constitutis ac aliis Christi fidelibus ad quorum noticiam pervenerit hec scriptura, salutem, graciam, et benedictionem. Vestre universitati innotescimus per presentes quod R. de Cumbresdal, manens in parochia Sancti Cuthberti Karlioli, propter suam manifestam offensam majoris excommunicacionis sen-

tencia innodatus existit et ipsam sentenciam in ipsum judicialiter promulgatam per xl dies et amplius animo sustinuit indurato et adhuc dampnabiliter sustinet, quo dolemus. Quocirca vobis omnibus et singulis inhibemus, vosque obsecramus in Domino et monemus, quatinus prefatum Reginaldum sic excommunicatum, prout convenit, evitetis, ut quem timor Dei a malo non revocat subtractio communionis humane ipsum ad satisfactionem debitam inducat cicius et compellat. In cujus rei testimonium sigillum nostrum presentibus est appensum. Data apud Rosam, vj° kalendas Januarii anno Domini M° CCC° et pontificatus nostri nono.

[Fo. 24a.]

[*Ordination; the probable date being Sept. 19, 1299.*]

CELEBRACIO ORDINUM DOMINI J. DEI GRACIA KARLIOLENSIS EPISCOPI DIE SABBATI IIIJ TEMPORUM MENSE SEPTEMBRIS ANNO DOMINI NONAGESIMO . . .

ACOLITI.

Frater Johannes de Hoton, canonicus de Conigesheved, per dimissorias capituli Eboraci.

Alanus de Brayton.

Frater Robertus de Suthwell, monachus Furnesii.

Frater Johannes de Caldre, monachus.

Thomas de Overton.

SUBDIACONI.

Magister Rogerus de Crosseby, scolaris domus de Merton, Oxonie.

Frater Michael de Rede.

Frater Alexander de Kirkeby.

Frater Johannes de Hoton, canonicus de Conigesheved.

Frater Robertus de Suthwell, monachus Furnesii.

Frater Johannes de Caldre, monachus.

Thomas de Kirkoswald, ad presentacionem domini R. archidiaconi Karlioli.

Jacobus, filius et heres Petri Wrsrip, ad presentacionem ipsius P.

Robertus Parvink, ad titulum patrimonii et ad presentacionem Johannis filii Ricardi de Capella.

DIACONI.

Frater Willelmus de Ednhal.

Frater Johannes de Holand.

Frater Willelmus de Ulverston.

Ricardus de Craystok, filius Hugonis Scarp, per titulum quatuor marcarum per cartam Roberti de Timparon.

Henricus de Neuton, per titulum quadraginta solidorum per cartam Thome de Hoton.

Robertus de Nettilton, per litteras dimissorias domini episcopi Lincolnie et titulum v bovatarum terre et trium toftorum in villa de Grendon, in diocesi Dunelmie, per cartam domini Hugonis Arridon, militis, signatam sigillo dicti militis et sigillo decanatus Dunelmie.

SACERDOTES.

Frater Ricardus de Loncastre.

Frater Thomas de Perl.

Frater Ricardus de Kendal.

Frater Johannes de Barton.

Frater Ricardus de Knichton.

Ricardus de Donecastre, factus incola per continuam moram quindecim annorum, per titulum quinque marcarum per cartam Radulphi de Herinton, presentis et concedentis.

[CLIFTON R.—*Peter de Tilloyll is admitted "in commendam".*]

COMMENDA ECCLESIE DE CLIFTON.

J. miseracione divina Karliolensis episcopus dilecto in Christo filio magistro Petro de Tilloyll, presbitero, salutem, graciam, et benedictionem. Ecclesiam parochialem de Clifton, nostre diocesis, vacantem et ad nostram collacionem spectantem, tibi caritatis intuitu commendamus et ipsius commendam committimus per presentes. Data Karlioli, vij idus Februarii anno Domini M° CC° nonogesimo viij°.

[*Ordination, Dec. 17, 1300.*]

CELEBRACIO ORDINUM DOMINI J. DEI GRACIA KARLIOLENSIS EPISCOPI DIE SABBATI IIIJ TEMPORUM MENSE DECEMBRIS ANNO DOMINI M° CCC°.

ACOLITI.

Frater Simon de Killingholm.

Willelmus de Musegrave.

Henricus de Helpiston, factus incola per continuam moram decennii et amplius.

Willelmus de Keldsik.
Johannes de Bounes.
Nicholaus de Brampton.
Willelmus Bloundel.

SUBDIACONI.

Frater Johannes de Bolteby, } Predicatores.
Frater Thomas de Hottlm̃, }
Willelmus Papejoy, ad titulum patrimonii.

DIACONI.

Frater Thomas de Dreneton, de ordine Predicatorum.
Adam de Mounby, ad titulum v marcarum sibi concessarum per litteras Walteri de Mounby.
Hugo de Middilton.

SACERDOTES.

Robertus de Nettilton, per dimissorias domini Lincolniensis episcopi.
Rogerus de Wateby.

[*Ordination at Horncastle, March 18, 1300-1.*]

Die Sabbati qua cantatur *Sicientes* anno Domini M° trecentesimo, de licencia domini Lincolniensis, apud Horncastrum ordinati fuerunt

Willelmus de Insula in subdiaconum, ad titulum vicarie de Crosseby.
Willelmus de Glendon in diaconum, ad vicariam Sancti Clementis de Sandwyco, per dimissorias domini Lincolniensis.
Magister Johannes de Kirkeby in diaconum, ad vicariam de Bannebyri, per dimissorias ejusdem domini Lincolniensis.

[*Also on April 1, 1301.*]

Sabbato sancto proximo sequente apud Horncastrum ordinatus fuit idem Willelmus de Insula in diaconum per licenciam domini Lincolniensis.

[GREYSTOKE R.—*The custody of the sequestration is committed to R. de M.*]

Johannes etc. dilecto in Christo filio magistro R. de M., subdiacono, salutem, graciam, et benedictionem. Custodiam sequestri nostri in ecclesia de Craystok, ad quam nobis per dominum J. de

Craystok, verum patronum ejusdem, presentatus existis, tibi committimus quousque eam duxerimus revocandam. Data apud Horncastrum, xvj kalendas Maii anno etc. CCC° secundo.

[Fo. 24b.]

[Bowness R.—*The Bishop commits the custody of this church and of Roald de Richmond, the presentee, who is under age, to John de Bowes during the said Roald's minority; whose education and the supply of the cure are to be duly provided for.*]

Commissio cure et custodie ecclesie de Bounes.

Johannes etc. dilecto in Christo filio magistro J. de Bowes, presbitero, salutem, graciam, et benedictionem. De tua diligencia et industria preexperta intime confidentes, curam et custodiam Roaldi de Richmond, clerici, et ecclesie parochialis de Bounes, nostre diocesis, ad quam idem Roaldus per dominam Adam de Feritate, patronam ejusdem, nobis presentatus existit et ad quam (quatenus jura permittunt) duximus admittendum, usque ad legitimam etatem ipsius Roaldi et quousque idem Roaldus in subdiaconum canonice fuerit ordinatus, tibi committimus per presentes teque auctoritate nostra ordinaria omnium bonorum et obvencionum ipsius ecclesie curatorem facimus et custodem; statuentes ut, hujusmodi cura et custodia perdurantibus, dictum Roaldum in scolis de bonis et obvencionibus exibeas et sibi ministres necessaria competenter, proviso quod dicte ecclesie et capellis suis interim bene et honeste in omnibus facias deservire domosque et mansum ipsius ecclesie in statu in quo sunt et in meliori sustinere; residuum vero bonorum et obvencionum ipsius ecclesie tibi pro labore tuo ex nostra speciali gracia concedentes. Data apud Rosam, viij idus Octobris anno Domini M° CCC°.

[Long Marton R.—*The custody of this church and of John de Medburn, a minor, who has been admitted thereto, is granted to William de Brampton. He is to provide for John's maintenance in the schools and the supply of the cure, etc.*]

Commissio cure et custodie ecclesie de Merton.

Johannes etc. dilecto in Christo filio magistro Willelmo de Brampton, presbitero, salutem, graciam, et benedictionem. De tua fideli industria intime confidentes, curam et custodiam Johannis de Medburn, clerici, et ecclesie parochialis de Merton, nostre diocesis, ad quam ipsum J. (quatenus jura permittunt) duximus admittendum, usque ad legitimam etatem ipsius J., tibi committimus teque

auctoritate nostra ordinaria bonorum et obvencionum ipsius ecclesie facimus curatorem ; finaliter statuentes ut dicte ecclesie interim in omnibus facias deservire, domosque et mansum ipsius ecclesie bene (ut convenit) sustinere, et alia onera incumbencia ipsi ecclesie quocunque modo subeas et agnoscas. Volumus etiam et decernimus in hiis scriptis quod de porcionibus ipsius ecclesie predicto Johanni et magistro W. Bonkes ad sustentacionem in scolis per equales porciones decem libras ad festa Natalis Domini et Pasche singulis annis persolvas, hujusmodi cura seu custodia perdurante ; ordinacione nostra inter dominum W. de Coumbe et dictum J. de Medburn prius facta in suo robore duratura. Data Karlioli, vj kalendas Marcii anno Domini M° CC° nonagesimo nono.

[*The Bishop is bound to three Florentine merchants in £266 13s. 4d. for 50 sacks of wool.*]

Universis presentes litteras inspecturis J. miseracione divina Karliolensis episcopus, salutem in Domino sempiternam. Noverit universitas vestra nos teneri et presenti scripto obligari Guidoni Bertaldi, Cini Bosi et Philippo Gerardini, civibus et mercatoribus de societate Spinorum de Florencia, in ducentis et sexaginta et vj libris, xiij solidis et quatuor denariis bonorum et legalium sterlingorum pro 1 saccis lane, in quibus tenemur eisdem mercatoribus per scriptum nostrum obligatorium quod penes eos residet, solvendis eisdem vel eorum attornato ad terminos infrascriptos : videlicet, triginta et tres libras et sex solidos et viij denarios in festo Pentecostes anno Domini M° trecentesimo primo, et triginta et tres libras et sex solidos et viij denarios ad festum Assumpcionis Beate Marie virginis proximo sequens, in civitate Londoniarum, sine ulteriori dilacione, inpedimento vel fraude ; et sic de anno in annum ad eosdem terminos quousque de toto predicto debito plenarie fuerit satisfactum. Ita, videlicet, quod scriptum antedictum de quinquaginta saccis lane ex nunc penitus nullius sit momenti, nec dicti mercatores vel eorum attornatus nec aliquis eorum nomine predictam lanam exigendi habeant potestatem, set predictum scriptum nobis vel nostro attornato restituant in primo termino solucionis eisdem faciende. Et ad predictas soluciones antedicte pecunie fideliter faciendas, sicut predictum est, obligamus nos, executores nostros, et omnia bona nostra, mobilia et inmobilia, ecclesiastica et mundana, presencia et futura, in quorumcunque potestate inveniantur, ita quod liceat dictis mercatoribus vel eorum attornato nos et

executores nostros distringere et inplacitare coram quibuscunque judicibus, ecclesiasticis vel secularibus, quousque de toto predicto debito, una cum dampnis et expensis per nos in hac parte habitis, plenarie fuerit satisfactum. Super quibus dampnis et expensis predicti mercatores vel eorum attornatus credentur suo simplici verbo sine juramento seu alterius onere probacionis. Concedentes pro nobis et executoribus nostris solvere et dare in subsidium Terre Sancte pro qualibet mense elapsa ultra dictos terminos centum solidos argenti sine diminucione debiti principalis; omni excepcioni, cavillacioni, defensioni, appellacioni, regie prohibicioni et protectioni, ac omni juris remedio, canonici et civilis, penitus et expresse pro nobis et executoribus nostris in hoc scripto renunciantes. In cujus rei testimonium presentibus litteris sigillum nostrum est appensum. Data Eboraci, xiiij kalendas Augusti anno Domini M° CCC°.

[*A dispensation of non-residence, according (it seems) to the Lincoln form.*]

LITTERA DISPENSACIONIS DE NON RESIDENCIA FACIENDA.

Johannes etc. dilecto in Christo filio rectori etc., salutem, graciam, et benedictionem. Tue devocionis et probitatis merita nos inducunt ut personam tuam in hiis que a nobis fieri postulas favore prosequamur gracie specialis. Ut itaque in congruo et honesto loco pro tue discrecionis beneplacito per triennium continuum a tempore date presencium numerandum licite valeas inmorari ac ecclesiam tuam predictam interim ad firmam dimittere, liberam tibi tenore presencium concedimus facultatem. Infra quod tempus te nolumus per officialem vel ministros nostros ad personalem residenciam faciendam nec ad interessendum sinodis, visitacionibus, seu aliis congregacionibus compelli vel ea occasione aliqualiter molestari; proviso quod dicta ecclesia interim debitis non fraudetur obsequiis nec animarum cura in ipsa aliqualiter negligatur. Volumus autem quod procuratorem idoneum in prefata ecclesia medio tempore constituas loco tui. Data Lincolnie, etc.

[MOORBY R.—*Bishop Halton presents William de Musegrave to the church of Moorby, whereupon the Bishop of Lincoln orders an inquisition to be made.*]

LITTERA INQUISICIONIS SECUNDUM FORMAM CURIE LINCOLNIE.

J. miseracione divina Lincolniensis episcopus officiali archidiaconatus Lincolnie, salutem, graciam, et benedictionem. Pre-

sentavit nobis venerabilis pater dominus J. Dei gracia episcopus Karliolensis Willelmum de Musegrave, clericum, ad ecclesiam de Morbi vacantem, ut dicitur. Quocirca vobis mandamus quatinus tam super vacacione dicte ecclesie et persona ad eam presentata quam jure presentantis et ultimo presentati ad eandem in pleno loci capitulo vocatis vocandis diligenter faciatis inquisicionem secundum articulos consuetos, et que per eam inveneritis nobis litteris vestris plenius intimetis, nichil de fama vel oppinione, set de certitudine vacacionis nobis rescribentes; de qua vos et loci capitulum in omni eventu, si dampnum acciderit, volueritis respondere. Data Lincolnie, iij nonas Februarii.

[Fo. 25a.]

[*The Chapter of Carlisle confirms a grant by the Bishop of an annuity of £40 to John de Drokenesford, clerk.*]

CONFIRMACIO CAPITULI DE ANNUA PENSIONE.

Omnibus Christi fidelibus presens scriptum visuris vel audituris A., prior, et conventus ecclesie Sancte Marie Karlioli, salutem in Domino. Inspeximus scriptum quod venerabilis pater noster J. Dei gracia Karliolensis episcopus fecit domino J. de Drokenesford, clerico, in hec verba. Omnibus ad quos presens scriptum pervenerit J. miseracione divina Karliolensis episcopus, salutem in Domino sempiternam. Noveritis nos concessisse pro nobis et successoribus nostris domino Johanni de Drokenesford, clerico, xl libras sterlingorum annuatim ad totam vitam ipsius Johannis, percipiendas de manerio nostro de Horncastro ad duos anni terminos, videlicet, in festo Pasche viginti libras et in festo Sancti Michaelis xx libras. Et ad solucionem predictarum xl librarum annuatim ad terminos predictos eidem domino Johanni de Drokenesford, quoad vixerit, per nos et successores nostros faciendam predictum manerium nostrum de Horncastro districtioni ejusdem domini Johannis per presens scriptum obligamus. In cujus rei testimonium sigillum nostrum presenti scripto duximus apponendum. Data Lincolnie, in crastino Sancti Valentini anno regni regis [Edwardi] xxix. Quam quidem concessionem pro nobis et successoribus nostris ratam et gratam habentes, tenore presencium confirmamus. In cujus rei testimonium sigillum commune capituli nostri presentibus apponi fecimus. Data apud Karliolum, die Mercurii in festo Sancti Petri in cathedra.

[*The King commands the Treasurer and Barons of the Exchequer to make inquiry into the losses which the Bishop, as farmer of the demesne lands of Carlisle Castle, has suffered through the Scottish war during the last two years, and to allow for them. See Raine's "Letters and Papers", p. 153.*]

TRANSCRIPTUM BREVIS REGII.

Edwardus etc. thesaurario et baronibus suis de scaccario, salutem. Sua nobis venerabilis pater J. Karliolensis episcopus peticione supplicavit ut, cum ipse teneat ex commissione nostra prata et herbagia de dominicis castri nostri Karlioli ad firmam pro x libris nobis per annum ad scaccarium nostrum reddendis, et prata et herbagia predicta per Walenses et Hibernicos versus Scotos in obsequium nostrum nuper proficiscentes, uno anno, et per fideles nostros de exercitu nostro similiter eundo versus partes illas et exinde redeundo, duobus annis depasta fuissent totaliter et consumpta, ita quod nichil commodi inde percipere potuit tempore predicto, velimus ei in firma sua predicta inde debitam facere allocacionem ; volentes precibus ejusdem episcopi, quatenus justum fuerit, annuere in hac parte, vobis mandamus quod per sacramentum proborum et legalium hominum parcium illarum, per quos rei veritas melius sciri poterit, diligenter inquiratis que dampna prefatus episcopus sustinuit in hac parte, et per quos et quo tempore et qualiter et quomodo, et de dampnis, que per inquisicionem illam ipsum episcopum de predictis pratis et herbagiis inveneritis habuisse, debitam allocanciam sibi in firma sua predicta faciatis. Teste meipso apud Netleham, anno etc. xxix.

[*The Bishop of Lincoln grants leave to the Bishop of Carlisle to hold an ordination in his diocese. See above, p. 134.*]

LITTERA DIMISSORIA DOMINI LINCOLNIENSIS PRO ORDINIBUS CELEBRANDIS.

Venerabili in Christo patri domino J. Dei gracia Carliolensi episcopo J. permissione ejusdem Lincolniensis episcopus, salutem et sinceram in Domino caritatem. Fusis nobis pro dilecto in Christo filio Willelmo de Glendon, nostre diocesis, subdiacono, ad vicariam Sancti Clementis de Santwyco, Cantuariensis diocesis, presentato precibus inclinati, ut eundem Willelmum ad diaconatus ordinem et quoscunque clericos vestros ad convenientes sibi ordines citra festum Pasche proximo futurum in nostra diocesi congruis temporibus ordinare possitis, liberam vobis et dicto Willelmo prefatum ordinem a vobis recipiendi (quantum in nobis

est) concedimus facultatem. Conservet vos Altissimus feliciter atque diu ad ecclesie sue regimen et honorem. Data apud Laff' nonis Marcii anno Domini M° CCC°.

[*Ralph, Bishop of Carlisle, v. Isabella de Clifford and Ydonea de Leyburn, concerning the advowson of Brough under Stainmore.*]

LITTERA PRO RECORDO ECCLESIE DE BURGO HABENDO.

R. thesaurario et baronibus suis, salutem. Quia quibusdam certis de causis volumus cerciorari super recordo et processu loquele que fuit coram Thoma de Weyland et sociis suis, nuper justiciariis nostris de banco, per breve nostrum inter Radulphum quondam episcopum Karlioli, petentem, et Isabellam de Clifford et Ydoneam de Leyburn, inpedientes, de advocacione ecclesie de Burgo subtus Steynmor, vobis mandamus quod, scrutatis rotulis predicti Thome qui sunt in thesauria nostra sub custodia vestra, ut dicitur, recordum et processum loquele predicte cum omnibus ea tangentibus, nobis sub sigillo scaccarii nostri distincte et aperte sine dilacione mittatis et hoc breve. Teste meipso apud Westmonasterium, iij die Aprilis anno regni nostri vicesimo octavo.

[*Acquittance at the Exchequer of Walter, Bishop of Carlisle.*]

COMPOTUS WALTERI KARLIOLENSIS EPISCOPI.

W. Karliolensis episcopus reddit compotum de mille libris de fine pro habenda pace de omnibus querelis et actionibus quas rex habuit erga eum occasione thesaurarie sue, et ut ipse et successores sui et heredes et executores sui et ecclesia Karlioli sint omnino quieti de omni compoto thesauri de tempore quo fuit vicecomes regis, et pro habendo sibi et heredibus suis manerio de Horncastro cum soca et omnibus pertinenciis suis, et pro habendis libertatibus contentis in cartis regis quas ipse episcopus inde habet, et similiter pro habendis wardis, firmis, et aliis tenementis suis que rex cepit in manu sua. Item quod dictus episcopus dictum manerium de Horncastro non possit alienare vel in elemosinam dare sine assensu et voluntate regis. In thesauro d iiij libre, et in perdonis ipsi episcopo mille marce per breve regis. In rotulo xvij regis H. Et quietus.

[*The King signifies that he requires the rolls to be examined and the records of certain suits about the advowson of Brough under Stainmore to be transmitted to him.*]

BREVE DE PROCESSU ET RECORDO VENIENDIS.

R. thesaurario et camerariis suis, salutem. Quia quibusdam certis de causis volumus cerciorari super recordo et processu loquele que fuit coram Thoma de Weyland et sociis suis, dudum justiciariis nostris de banco, per breve nostrum inter Radulphum quondam episcopum Karlioli, petentem, et Isabellam de Clifford et Idoneam de Leyborn, sorores et participes hereditatis que fuit Roberti de Veteriponte, inpedientes, de advocacione ecclesie de Burgo subtus Steynmor; et etiam super recordo et processu loquele que fuit postmodum coram prefatis justiciariis nostris per aliud breve nostrum inter nos et prefatas Isabellam et Idoneam de advocacione ejusdem ecclesie, vobis mandamus quod scrutatis rotulis predicti Thome qui sunt in thesauria nostra sub custodia vestra, ut dicitur, recorda et processus loquelarum predictarum cum omnibus ea tangentibus nobis sub sigillo scaccarii nostri distincte et aperte sine dilacione mittatis et hoc breve. Teste meipso apud Hayles, xxiij die Marcii anno regni nostri xxix.

[*Letters dimissory for the ordination of a canon of Ailsham.*]

DIMISSORIE LINCOLNIENSIS EPISCOPI.

J. permissione divina Lincolniensis episcopus dilecto in Christo filio priori de Ellisham, nostre diocesis, salutem, graciam et benedictionem. Tuis supplicacionibus favorabiliter inclinati ut fratrem R. de Crosholm, canonicum tuum, per quemcuncque episcopum catholicum, sedis apostolice graciam optinentem, ad convenientes sibi ordines citra festum Sancti Michaelis proximo futurum statutis a jure temporibus facere valeas promoveri, eo non obstante quod idem canonicus de nostra est diocesi, dum tamen aliud canonicum non obsistat, liberam tibi et dicto canonico dictos ordines recipiendi et cuicunque episcopo hujusmodi ipsum ordinandi tenore presencium concedimus facultatem. Date apud Bruerne, xv kalendas Aprilis anno Domini M° CCC°.

[Fo. 25b.]

[*Mandate from the Prior of St. Catherine's to cite before him the religious and clergy of the Archdeaconry of Lincoln whose payments of the crusading tithe are in arrear.*]

Prior Sancte Caterine extra Lincolniam, collector decime domino regi Anglie illustri in subsidium Terre Sancte a sede

apostolica per sex annos concesse, discreto viro officiali domini archidiaconi Lincolnie, salutem in salutis Auctore. Licet abbates, priores, abbatisse, priorisse, exempte et non exempte, rectores et vicarii, seu eorum procuratores, nuper per vos citati fuerunt sub pena suspensionis quod coram nobis seu locum nostrum tenentibus in domo nostra Sancte Caterine extra Lincolniam in quindena Sancti Hillarii anno Domini M° CCC° comparere debuerunt satisfacturi pro primo termino quarti anni decime supradicte, ac etiam quidam de arreragiis trium annorum preteritorum ejusdem decime sub pena prenotata similiter citati fuissent, pauci tamen ad diem proximum venire curarunt, et, quia crescente contumacia crescere debet et pena, vobis sub pena suspensionis mandamus (quam in personam vestram per presentes ferimus si presens mandatum nostrum cum celeri diligencia non fueritis executi) quatinus omnes abbates, priores, abbatissas et priorissas, exemptas et non exemptas, necnon rectores et vicarios ecclesiarum seu, ipsis absentibus, ipsorum procuratores, et omnes alios qualitercumque ad predictam decimam astrictos, quocumque nomine censeantur, sic suspensos de die in diem denuncietis seu denunciari faciatis donec de satisfactione nobis facta pro primo termino preterito per litteras acquietancie vobis constiterit evidenter. Citantes nichilominus prefatos omnes quod compareant coram nobis seu locum nostrum tenentibus in domo nostra predicta die Lune proxima post mediam Quadragesimam anno prenotato nobis plenarie satisfacturi de arreragiis primi termini quarti anni, in quindena Pasche de secundo termino ejusdem anni compareant, sub pena excommunicacionis majoris in personas et interdicti in ipsorum ecclesias, que exnunc in non comparentes nec rite satisfacientes diebus prenotatis ferimus in hiis scriptis. Et quia illi qui in arreragiis sunt per quinque annos in excommunicacionis sentenciis animis induratis jam perstiterunt, vobis injungimus sub pena prenotata quatinus omnes et singulos, ipsos seu eorum procuratores vel tenentes seu occupantes loca vel beneficia eorundem, sic excommunicatos denuncietis seu denunciari faciatis singulis diebus dominicis seu festivis infra missarum solempnia donec ad cor reversi, premissa satisfactione in forma juris, beneficium absolucionis meruerint optinere; ulterius inquirentes si qui, ut premittitur, sint excommunicati, se irreverenter divinis inmiscuerunt vel adhuc inmiscere non formidant. Et [ut] ipsos qui in arreragiis sunt scire luculenter valeatis, ipsorum nomina et beneficia et in quibus decanatibus sint sub sigillo nostro vobis mittimus presentibus annexa. Qualiter

autem presens mandatum nostrum fueritis executi, nos die Lune proxima post mediam Quadragesimam proximo futuram per litteras vestras patentes harum seriem continentes reddatis cerciores. Data in domo nostra Lincolnie, nono kalendas Marcii anno Domini superius nominato.

[*Mandate to the Archdeacon of Lincoln touching the collection within his Archdeaconry of the subsidy granted by the Convocation of Canterbury to Archbishop Robert.*]

Johannes, permissione divina Lincolniensis episcopus, dilecto in Christo filio archidiacono Lincolnie vel ejus officiali, salutem, graciam et benedictionem. Litteras reverendi patris domini Roberti, Dei gracia Cantuariensis archiepiscopi, tocius Anglie primatis, recepimus sub hac forma. Robertus, permissione divina Cantuariensis archiepiscopus, tocius Anglie primas, venerabili fratri domino J., Dei gracia Lincolniensi episcopo, salutem et fraternam in Domino caritatem. Expositis dudum in ultima congregacione prelatorum et cleri nostri provincie Cantuarie, Londoniis facta, nostris et ecclesie nostre Cantuarie necessitatibus et oneribus eris alieni (coadversitate tempore succrescente, diu depressi a tempore suscepti regiminis nobis commissi, hucusque propriis facultatibus non sufficientibus, sine aliorum adjutorio non possumus sublevari), pie compassionis affectu per fratres coepiscopos nostros tunc presentes et absencium procuratores, de consensu procuratorum cleri tocius provincie nostre conveniencium ibidem, unanime et gratanter ordinatum extitit et consensum quod quatuor denarii de qualibet marca bonorum ecclesiasticorum ejusdem provincie secundum ultimam ipsorum taxacionem pro nostro et ecclesie nostre relevamine colligerentur in suis diocesibus per eos quorum locorum diocesani ad hoc auctoritate sua duxerint assignandos. Verum licet ex condicto eorumdem prelatorum et procuratorum juxta spem super hoc habitam predictum subsidium quoad nostri sublevamen sufficere credebatur, in festo Sancti Michaelis proximo preterito speraretur totaliter fuisse collectum ; supervenientibus tamen turbacionibus et aliis exactionibus inopinatis non potuit adhuc colligi a subditis varie pregravatis, cui forsan dilacionem opposuit eorumdem subditorum ignorancia quelibet in plerisque locis ejusdem subvencionis causa et ad cujus utilitatem fieret in ejusdem imposicione et collectione nondum erat expresse et specialiter intimatum. Super quibus cum fratribus et coepiscopis nostris presentibus in hoc

parliamento Lincolnie et absencium procuratoribus ibidem existentibus collacione habita, sicut potuimus, aliqualiter de consilio eorumdem fraternitatem vestram excitando rogamus attente quatinus in necessitatibus nostris supradictis, quas non credimus vos latere, ecclesieque nostre provincialis utilitatibus (et ex premissis verisimilibus poterunt evenire), subditis vestris seriatim expositis virisque ecclesiasticis in vestra diocesi exemptis notificatis plenius et expressius, sine gravi cohercione subditorum vel dictorum exemptorum exasperacione, dictos quatuor denarios, sic pro nostre ecclesie relevamine moderatos et pro parte jam collectos, citra festum Pentecostes proximo futurum diligenter cum modestia plene colligi faciatis; vestris subditis benignius suadentes, ne moleste ferant una cum onere decime, dictum sic gratis provisum subsidium supportare. Nobis insuper significare curetis citra idem festum per litteras vestras, distincte et aperte, ad quam summam se extendit pecunia in vestra diocesi sic collecta et quantum extunc supererit ab hiis qui non solverint et ab exemptis, si forte tunc non satisfecerint, ulterius eo nomine exigendum, ut sic, considerata quantitate integra omnium summarum collectarum in singulis diocesibus, si nobis sufficiat ad nostri et ecclesie nostre exoneracionem scire plenius valeamus; proviso quod collectores quos deputaveritis in hac parte in exactione et recepcione dicte pecunie et liberacionibus faciendis vestris nequaquam sint subditis onerosi. Valeatis semper in Christo. Data apud Burton juxta Lincolniam, xv kalendas Marcii anno Domini CCC° et consecracionis nostre septimo.

Sane conscripti patres dicte provincie in penultima congregacione prelatorum (et ante nostram assumpcionem ad pastorale officium Londoniis erat facta) et procuratores ipsorum tunc absencium, ut premittitur, ad causas (ut supponimus) legitimas et motivas oculos convertentes prefatum patrem, solum optentu persone sue suis meritis commendande, in subsidio pretacto, quod in singulis diocesibus provincie memorate jam pridem pro magna parte dicitur esse collectum, pro debiti sui gravi sarcina relevanda respirare liberaliter decreverunt—a quibus nos cum clero nostre diocesis discrepare nequimus. Quocirca vobis firmiter injungendo mandamus quatinus omnibus beneficiatis sub districtu vestro, tam religiosis quam secularibus, omnia premissa serie et cum grata inductione efficaciter exponentes exemptisque notificantes diligencius omnia supradicta, ac voluntatem cujuslibet beneficiati (sive religiosi, non exempti et exempti, sive secularis, presentis et procuratoris

absentis seu locum suum tenentis), absentes caucius et expressius, scisscitantes, ad levacionem dicti subsidii, in quod vos et procuratores cleri nuper Lincolnie consensistis, in archidiaconatu vestro citra Dominicam qua cantatur officium *Cantate* proximo futuram—ad quam faciendam vos loco nostro per presentes specialiter deputamus—cum omnimoda diligencia procedere non tardetis: quod colligeritis in loco tuto circumspectius deponentes. Vos, autem, qualiter premissa duxeritis exequenda nos infra octo dies post Dominicam supradictam, quem terminum per vos nolumus aliqualiter prorogari seu per negligenciam non servari, per litteras vestras patentes harum seriem continentes certificetis expresse; nomina omnium solvencium, una cum quantitate singillatim soluta, et etiam non solvencium et responsa eorum utrum, scilicet, voluerint solvere vel non, et si velint, quando, in quodam rotulo separato et sub sigillo vestro incluso nobis rescribentes distincte pariter et aperte. Data Lincolnie, iiij kalendas Marcii anno CCC°.

[Fo. 26a.]

[*The Bishop certifies that Adam de Penington, clerk, has purged himself of the charge brought against him, and prays for the restoration of his goods.*]

Excellentissimo principi et domino suo, domino E. Dei gracia regi Anglie illustri, Johannes, miseracione ejusdem Karliolensis episcopus, salutem in Eo cui servire perhenniter est regnare. Vestra sciat regia celsitudo quod cum coram dominis Adam del Crokedayk et Michaele de Harcla, justiciariis vestris ad gayolam liberandam in comitatu Cumbrie per breve vestrum specialiter deputatis, Adam de Penington, clericus, nostre diocesis, super quadam roberia in foresta vestra de Engilwod facta irretitus fuisset, ac nobis per dictos justiciarios vestros secundum libertatem ecclesiasticam liberatus in foro ecclesiastico uno modo vel alio libere judicandus, idem Adam, post diversas proclamaciones puplice in locis vicinis factas, super dicto crimine coram nobis canonice se purgavit. Ob quod vestram excellentem dominacionem requirimus et rogamus quatinus, juxta ecclesie Anglicane libertates et ipsius laudabiles consuetudines preoptentas, vicecomiti vestro Cumbrie dare dignemini per vestras litteras in mandatis quod bona dicti Adam, clerici, que hac occasione detinet, sibi faciat liberari et quod eidem ea racione non inferat seu inferri permittat in rebus aut persona aliqualem molestiam seu gravamen. Data apud Karliolum, xiij kalendas Septembris anno Domini M° CCC° primo.

[*On account of the heavy losses sustained by the Roman Church in consequence of the troubles in Sicily and Tuscany, Pope Boniface has imposed for three years a tax of a tenth on all ecclesiastical benefices in England above the yearly value of seven pounds tournois. R., bishop of London, and B. de Ferentino, canon of St. Paul's, have been appointed the principal collectors.*]

Pateat universis quod nos R., Dei gracia episcopus, et Bartholomeus de Ferentino, canonicus Londonienses, collectores seu executores super decimis omnium ecclesiasticorum reddituum et proventuum in toto regno Anglie per tres annos a sanctissimo patre domino Bonifacio divina providencia papa in subsidium Romane ecclesie impositis deputati, recepimus ejusdem domini pape litteras sanas et integras, vera bulla bullatas et omni suspicione carentes, in hec verba. Bonifacius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus universis, archiepiscopis et episcopis, ac dilectis filiis, electis, abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, prepositis, archipresbiteris, et aliis ecclesiarum prelatis; capitulis, collegiis, et conventibus, Cisterciensis, Cluniacensis, Premonstratensis, Sanctorum Benedicti et Augustini, Cartusiensis, Grandimontensis, et aliorum ordinum; necnon domorum Beate Marie Theotonicorum et Calatravensium prioribus, preceptoribus seu magistris, ceterisque omnibus personis ecclesiasticis, regularibus et secularibus, exemptis [et non exemptis], per totum regnum Anglie constitutis, salutem et apostolicam benedictionem. Excitare debent subditorum corda fidelium fidei zelus, devocionis fervor, et compassionis pietas erga Romanam ecclesiam, que universarum ecclesiarum mater esse dinoscitur et magistra, ut singuli, qui eam unam catholicam et apostolicam profitentur ecclesiam, de ipsius gloria gratulentur, de ipsius contumelia doleant, et in suis oneribus et pressuris filialem compassionem exerceant et exurgant gratis affectibus et operibus studiosis ad ejus onera sublevanda, ut a filiali debito persoluta ipsa mater gratitudinis promptitudinem, devocionis et reverencie observanciam in filiis recognoscens, se illis letanter benignam exhibeat et oportunis temporibus graciosam. Sane non latet in abditis, sed per diversos orbis angulos innotescit, qualiter longi temporis spacio quondam Petrus, olim rex Aragonum, subdolus nequicie perpetrator, et subsequenter diversis temporibus nati ejus, sibi succedentes in vicio, contra nos et eamdem ecclesiam et carissimum in Christo filium nostrum C., Sicilie regem illustrem, insulam Sicilie occuparunt ac tenuerunt et adhuc eciam pro majori parte detinent nequiter occupatam—quarum occupacionis et detencionis occasione et causa contigit olim perdicio Terre Sancte. Sed nec ei potuit oportunum ministrari subsidium de partibus

cismarinis et, quamvis inopinatis auxiliis ac insperatis operibus (illucescente illi gracia Salvatoris) sit ipsi Terre Sancte via recuperacionis, reparacionis, et inhabitacionis aperta, tamen ob induratam antiquate jam rebellionis nequiciam Siculorum et Frederici, nati predicti quondam Petri, olim regis Aragonum, sub cujus Frederici devio iidem Siculi in tenebris et umbra mortis obdormiunt, et propter alia scandala que insurgunt prefata mater ecclesia in adhibendis oportunis eidem Terre Sancte subsidiis impetitur. Status insuper Tuscie impetitur admodum fluctibus scandalorum, civitates, loca, et incole Italicarum parcium ecclesie predicte subjecta in non modica parte rebellant, nequicie venena fudencia et laborancia ingratitudinis vicio contra eam, et nisi eorum insolencie compescantur periculose, plurimum invalescant. Christianique reges et principes, a quibus ecclesia eadem deberet ab hiis et aliis angustiis relevari, ad ea guerris et scandalis colluctantur adinvicem, quod prefatam ecclesiam in tantum oportet circa eorum concordiam laborare quod eciam pretermittere cogitur alias partes orbis et dispendium pati nichilominus in se ipsa. Quapropter pro pacifico Christianitatis statu, et potissime in illis partibus et provinciis atque regnis a quibus potest et solet prefate terre comodius et efficacius subveniri, et ad compescendam nequiciam perversorum qui conati sunt hactenus et qui conantur pro viribus prelibatam ecclesiam injuriis, dampnis, dispendiis et rebellionibus impugnare, memorata ecclesia et nos, postquam fuimus ad apicem apostolice dignitatis assumpti, sollicitudines, amaritudines, et labores, expensas innumeratas et importabilia onera necessitate cogente subivimus et subire compellimur et (quod gravius relevandum existit) actibus eciam bellicis cum rebellibus subditis aliisque impugnatoribus implicari. Cum igitur, sicut vestra universitas ignorare non debet, ad relevanda gravamina et importabilia onera et expensas atque necessitates plurimas, quibus propter premissa premimur nos et ecclesia prelibata, et ut facilius supportare possimus que nobis incumbunt et iminent facienda et ut, Deo actore, pro sui honoris sueque laudis augmento ad optatum finem laudabilia proposita nostra producere valeamus, prout expedire viderimus et decere, vestris indigeamus succursibus et subvencionibus egeamus, decimam omnium ecclesiasticorum reddituum et proventuum in toto regno Anglie per tres annos auctoritate presencium duximus imponendam. Universitatem itaque vestram attente monemus, affectuose rogamus, et obsecramus in Domino Jesu Christo, mandantes vobis nichilominus per apostolica scripta et in remissionem peccaminum injungentes,

quatinus attendentes quod, licet compaciendum vobis existat nosque ad vos pie ducamur compassionis affectu super vestris oneribus, gravaminibus, et pressuris (et libenter ad relevacionem vestram oportuna juvamina prebebimus), quia tamen prelibata mater ecclesia mederi nequiret absque membrorum suorum oneracione, super hiis ad subveniendum nobis et eidem ecclesie promptis obsequiis exurgatis; et onus subvencionis, quod in presencia vobis imponimus impaciencie virtute, p[. . .]antes et compacientes ab intimis nostris et prefate matris ecclesie laboribus, injuriis, oneribus et pressuris, ob divinam et ipsius ecclesie ac nostram reverenciam, vestrorum omnium ecclesiasticorum reddituum et proventuum prefati regni decimam per hujusmodi trien-
[Fo. 26b.] nium liberaliter et integre venerabili fratri nostro, episcopo, et dilecto filio, magistro Bartholomeo de Ferentino, canonico Londoniensibus, quibus duximus collectionem ipsius decime per alias nostras sub certa forma litteras committendam, et aliis quos ipsi ad hoc deputandos duxerint, in prefigendis vobis ab ipsis collectoribus terminis persolvatis, cum illis excepcionibus et moderacionibus quas in aliis nostris litteris exprimemus: non obstantibus quibuslibet privilegiis, indulgenciis, et graciis vobis vel alicui seu aliquibus vestrum aut dignitatibus vel ordinibus vestris —et specialiter Cisterciensibus, Cluniacensibus, Premonstratensibus, Cartusiensibus, Grandimontensibus—vel vestris dignitatibus, locis, aut personis singularibus sub quacumque forma seu expressione verborum ab eadem sede concessis, eciam si contineatur in eis quod de ipsorum totis tenoribus, seriatim vel de verbo ad verbum, seu de impetrancium aut ea obtinencium nominibus propriis plenam et expressam seu explicitam quantumcuncque oporteat fieri in nostris litteris mencionem; et qualibet alia dicte sedis indulgencia, cujuscunque tenoris, forme, vel expressionis existat, per quam de verbo ad verbum presentibus non insertam, aut nominatim et singulariter non expressam, effectus earum impediri quovismodo valeat vel differri. Ceterum clericos illos ad prestacionem ipsius decime teneri nolumus quorum ecclesiastici redditus et proventus septem librarum Turonensium parvorum summam annis singulis non excedunt. Sic in hac parte nostris mandatis, monitis, persuasionibus, et exortacionibus parituri quod a Deo, de cujus negociis agitur, eterne retribucionis premium ac a nobis et sede apostolica precipui favoris augmentum non inmerito consequi valeatis. Data Laterani, iiij kalendas Marcii pontificatus nostri anno vij°. In cujus rei testimonium easdem litteras scribi mandavimus et nostrorum sigillorum munimine roborari. Data

Londoniis, die vicesimo septimo mensis Julii anno Domini M°CCC° primo.

[*The office of collector in the diocese of Carlisle.*]

Reverendo in Christo patri domino . . Dei gracia episcopo Karliolensi, vel ejus officiali, R., eadem gracia episcopus, et Bartholomeus de Ferentino, canonicus Londonienses, collectores seu executores super decimis omnium ecclesiasticorum reddituum et proventuum in toto regno Anglie per tres annos a sanctissimo patre domino Bonifacio, divina providencia papa VIII, in subsidium Romane ecclesie impositis deputati, salutem et mandatis apostolicis firmiter obedire. Litteras ejusdem domini pape nobis directas recepimus, quarum copiam sigillis nostris signatam vobis inspiciendam transmittimus latori presencium, nuncio nostro jurato, illico retradendam, eisdem originalibus litteris propter viarum pericula penes nos retentis, parati vobis et omnibus quorum interesse posset, cum fuerimus requisiti, de ipsis facere plenam fidem ; ipsarum auctoritate vobis in virtute obediencie qua dicte sedi tenemini firmiter injungentes quatinus, receptis presentibus, sine mora citetis vel citari faciatis peremptorie ex parte vestra priorem et conventum vestre Karliolensis ecclesie quod compareant coram nobis in crastinum festi Sancti Michaelis proximum futurum in ecclesia Sancti Pauli, Londoniis, per se vel per procuratores ydoneos, sufficiencia et specialia habentes mandata ad jurandum in animas eorumdem et ad recipiendum et exequendum officium collectionis dicte decime pro tribus annis futuris in civitate et diocesi vestra et ad faciendum quod eis virtute dicti mandati ulterius sit injungendum. De die vero recepcionis presencium et quod super premissis feceritis, nos dictis die et loco certificetis per vestras patentes litteras harum seriem continentes. Data Londoniis, die xxvij mensis Julii anno Domini M° CCC° primo.

[*Robert de la Vanne having paid his fine, the Bishop is ordered to release the sequestration on his benefices.*]

E. Dei gracia etc. venerabili in Christo patri J. eadem gracia Karliolensi episcopo, salutem. Sciatis quod magister Robertus de la Vanne solvit nobis ad scaccarium nostrum v marcas de xj li. vjs. viijd., quos debet nobis de fine et quos vobis nuper mandavimus de bonis suis ecclesiasticis in vestra diocesi ad opus nostrum levare, de residuoque tocius debiti predicti asserens se nuper ad nostrum scaccarium satisfecisse. Et ideo vobis mandamus, si ita est, tunc denarios quos ab eodem magistro Roberto receperitis ad nostrum scaccarium mittatis apud Eboracum in

crastinum Sancti Michaelis proximum futurum ibidem solvendos ad opus nostrum. Et sequestrum, si quid ad nostrum mandatum apposueritis in beneficiis suis ecclesiasticis occasione debiti predicti, sine dilacione eidem relaxatis; et remittatis ad idem scaccarium ad diem predictum hoc breve. Teste W. de Carleton apud Eboracum, xij die Julii anno regni nostri xxix.

Per j talleam de scaccario, quo ad v marcas, et unam litteram patentem episcopi de recepcione residui.

[*The Bishop, by virtue of a papal mandate, inhibits the Prior and Convent of Lanercost from doing anything to the prejudice of a certain clerk, pending an inquisition in the ruridecanal chapter of Westmorland.*]

J., etc., ad infrascripta executor a sede apostolica specialiter deputatus, dilectis nobis in Christo filiis priori et conventui monasterii Sancte Marie de Lanercost, ordinis Sancti Augustini, nostre diocesis, salutem et mandatis apostolicis firmiter obedire. Litteras sanctissimi patris domini Benedicti pape X^i^, non abolitas, non cancellatas, nec in aliqua sui parte viciatas, cum vera bulla et canape, nuper recepimus in hec verba: Benedictus etc. Data etc.—Cujus igitur auctoritate mandati vobis firmiter inhibemus ne, pendente hujusmodi provisione, quicquid in prejudicium dicti clerici seu contra tenorem hujusmodi mandati apostolici aliquid attemptetis seu aliquid attemptari per alios procuretis: decernentes exnunc irritum et inane si quid contra nostram presentem inhibicionem, immo verius apostolicam, contigerit attemptari. Verum, quia de quibusdam statum et contradictiones dicti clerici contingentibus, que nos latent, sollerter inquirere nos oportet (sicut hujus mandati papalis series nos compellit), in pleno capitulo decanatus Westmerie, infra quem idem clericus duxit originem, videlicet die Martis proxima post instans festum Ascencionis Domini, in ecclesia parochiali de Merton celebrando, ex certa sciencia inquiri decrevimus de eisdem prefatoque clerico dictos diem et locum duximus assignandos, tenore presencium vos citamus ac etiam premunimus, quatinus dictis die et loco per vos . . . . . coram nobis vel commissario nostro, si vestra necesse videritis, intersitis facturi et audituri quod natura negocii [exigat et requirat]. . . . .

[Fo. 27a.]

[*Notarial instrument containing a long and elaborate record of the proceedings at the New Temple, London, in connexion with the transfer of the office of supervisor of the Scottish crusading tenth from the Bishop of Carlisle to the Abbot of Waltham and the Dean of St. Paul's.*]

In nomine Domini, amen. Cum felicis recordacionis Nicholaus papa Quartus collectionem decime omnium ecclesiasticorum red-

dituum, proventuum, et obvencionum tocius regni Scocie[1] per sex annorum spacium dudum venerabili patri Karliolensi et bone memorie Cathanensi tunc viventi episcopis per suas sub certa forma litteras commisisset et subsequenter sanctissimus pater dominus Bonifacius papa Octavus dominos abbatem monasterii de Waltham Sancte Crucis et decanum ecclesie Londonie predictis episcopis in collectione dictarum decimarum et obvencionum in regno Scocie per suas litteras subrogasset, injungentes specialiter dictis abbati et decano quod prefatum Karliolensem episcopum et executores testamenti ultime voluntatis predicti Cathenensis episcopi et quoscunque alios, de quibus videretur eis expedire, sibi quaslibet apostolicas litteras dudum eisdem Karliolensi et Cathanensi episcopis super collectione predicta directas, omnesque scriptas per eos vel de mandato seu commissione ipsorum inde confectas vel quas ipsi aut eorum aliqui detinerent, compellerent exhibere; et quod ab eisdem Karliolensi et executoribus predictis quantum ipsi Karliolensis et Cathanensis episcopi, collectores et eorum quilibet per se ac per alios, receperunt de decima suprascripta, et penes quos ac ubi, quando et qualiter, et sub quibus securitatibus seu cautelis pecuniam ab eis in hac parte receptam deponere curaverunt, quantum adhuc de ipsa decima et in quibus restat locis seu partibus colligendum; quantum, etiam, quando et qualiter ac ubi de ipsa decima expenderunt in prosequendis hiis que contingebant eamdem, et si ab eis vel ab aliis, quibus interdum super hujusmodi collectionis negocio vices suas vel in eo execucionem aliquam commiserunt, restat adhuc aliquid de collectis forsitan assignandum, ac super aliis oneribus negocium contingentibus memoratum, de quibus expedire viderent, reciperent diligentem et plenariam racionem: predicti abbas et decanus, volentes (ut tenentur) apostolica mandata sibi directa prosequi diligenter, memoratum Karliolensem episcopum citarunt et per eumdem executores testamenti predicti Cathanensis episcopi citari peremptorie per suas litteras mandarunt ut die Lune proxima post Purificacionem Beate Marie virginis anno gracie M° CCC° coram eis vel eorum altero seu eorum vices gerentibus, per se vel per procuratores ydoneos et sufficienter instructos, apud Novum Templum, Londonie, comparerent, litteras apostolicas et alia, de quibus supra fit mencio, eisdem exhibituri et de collectis decimis et obvencionibus raciocinia reddituri et ulterius facturi quod predicti natura negocii postularet. Quibus die et loco predictus dominus Karliolensis episcopus per Willelmum de Rodington,

[1] MS. "Anglie."

clericum et procuratorem suum sufficienter constitutum, comparuit et per certificatorium suum dictis abbati et decano directum, quo ad citacionem executorum prefati Cathanensis episcopi non factam et similiter de publicacione rescripti domini Bonifacii pape VIII per totum regnum Scocie non facta, prout demandatum fuerat faciendum, se nitebatur excusare eo quod propter guerrarum et viarum discrimina ad interiores partes Scocie et maxime ad diocesim Cathanensem, que in ulterioribus ejusdem regni secessibus esse dinoscitur, nunciis dicti domini Karliolensis tutus non patebat accessus. Mittebat tamen dictis abbati et decano per suprascriptum procuratorem sex rescripta felicis recordacionis Nicholai pape IIII dictis Karliolensi et Cathanensi episcopis super negocio dicte decime dudum transmissa. Unum, videlicet, generaliter directum episcopis, prelatis, et clero tocius regni Scocie de decima prestanda domino regi Anglie. Item aliud rescriptum directum episcopis Karliolensi et Cathanensi super dicta decima colligenda. Tercium rescriptum directum eisdem patribus de subcollectoribus deputandis. Quartum rescriptum eisdem patribus directum super obvencionibus per sex annos colligendis. Quintum rescriptum declaratorium de quibus fuerat decima persolvenda. Sextum rescriptum universis episcopis per regnum Scocie constitutis directum super cruce predicanda; cujus unum filum ruptum est et separatum a bulla. Mittebat etiam dictis abbati et decano decem et octo rotulos sigillo dicti Karliolensis episcopi consignatos, in quibus dicebatur vera et plena taxacio omnium beneficiorum ecclesiasticorum omnium diocesium tocius regni Scocie contineri. Et erat summa taxacionis omnium bonorum ecclesiasticorum diocesis Candide Case, M CCC xxij li. xijs. vd.; cujus decima, C xxxij li. vs. iijd. Item summa taxacionis bonorum ecclesiasticorum diocesis Glasguensis, XJ^{m} C xliij li. xijs.; decima inde, M C xiiij li. vijs. ijd. ob. Item summa taxacionis bonorum ecclesiasticorum tocius diocesis Sancti Andree, XIIJ^{m} septingente xxiij li. xvijs. iijd. ob.; decima inde, M CCC xxij li. vijs. viijd. ob. q. Item summa bonorum ecclesiasticorum diocesis Ergadiensis, VJ^{c} lxj li. viijs. xjd. ob.; cujus decima est lxvj li. ijs. xd. ob. q. Item summa bonorum ecclesiasticorum diocesis Breghenensis, M viij li. xijs. jd.; cujus decima, C li. xvijs. ijd. ob. Item summa bonorum ecclesiasticorum diocesis Aberdenensis, MMM quadringente xxxix li. xiijs. ob.; cujus decima, CCC xliij li. xixs. iijd. ob. Item summa bonorum ecclesiasticorum diocesis Moraviensis, MMCCCC iiij^{xx} xvj li. vs. xd.; cujus decima, CC xlix li. xijs. viijd. Item summa bonorum ecclesiasticorum diocesis Cathanensis, CCCC lxiiij li.; cujus decima,

xlvj li. viijs. Item summa bonorum ecclesiasticorum diocesis Dunkeldensis, MM V^{c} xxv li. xjs. viijd.; cujus decima, CC lij li. xjs. ijd. Item summa bonorum ecclesiasticorum diocesis Rossensis, VIJ^{c} iiij^{xx} j li. xs. vd.; cujus decima, lxxviij li. iijs. ob. Item summa bonorum ecclesiasticorum diocesis Dunblanensis, M CCC lxxvj li. xijs. iijd. ob.; cujus decima, C xxxvij li. xiijs. ijd. ob. q. Item summa bonorum ecclesiasticorum diocesis Zodorensis, V^{c} xxxvj li. viijd.; cujus decima, liij li. xijs. ob. q. Summa totalis omnium bonorum reddituum beneficiorum ecclesiasticorum tocius regni Scocie, triginta et novem milia quadringente septuaginta novem libre, sexdecim solidi et octo denarii; cujus summe decima, tria milia nongente quadraginta septem libre, decem et novem solidi, octo denarii. Predicte vero sex littere apostolice et rotuli taxacionis decime predicte memoratis abbati et decano, ut premittitur, transmissi penes eosdem remanserunt. Et predictus W., procurator dicti domini Karliolensis, se dicebat paratum ad reddendum raciocinia nomine domini sui de decima per ipsum per quatuor primos annos concessionis dicte decime in regno Scocie ac insuper per quintum et sextum annos in Insula dumtaxat
[Fo. 27b.] Mannie collecta: qui, juratus in animam dicti domini sui de fideli raciocinio (prout moris est) nomine domini sui reddendo, oneravit dominum suum et se nomine ejusdem de decima totali duodecim diocesium regni Scocie per quatuor primos annos de quindecim millibus septingentis quater viginti undecim libris, decem et octo solidis, octo denariis; et de quinquaginta quinque libris, sex solidis, duobus denariis de decima Insule Mannie de quinto et sexto annis concessionis dicte decime. Summa tocius oneris, quindecim milia octingente quadraginta septem libre, quatuor solidi, decem denarii. De quibus idem procurator dicebat dominum suum liberasse Gerardo Simonetti, de societate Pulicum et Rimbertinorum de Florencia, octingentas triginta libras, quindecim solidos, sex denarios obolum sterlingorum, per unam litteram sigillo ejusdem Gerardi et capituli Karlioli sigillatam et in hoc compoto exhibitam. Item dictus procurator exhibuit unum instrumentum sigillis Abrachii Gerardi et Gerardi Simonis,[1] civium et mercatorum Florencie de societate Pulicum et Rimbertinorum, sigillatum, in quo continebatur ipsos a predicto domino Karliolensi episcopo recepisse in pecunia numerata sexaginta sex libras, tresdecim solidos et quatuor denarios, et in litteris obligatoriis diversorum subcollectorum mille trecentas quater viginti sexdecim

[1] *Sic.*

libras, viginti denarios obolum ; obligantes se ad restitucionem tante pecunie vel dictarum litterarum obligatoriarum dicto patri faciendam infra mensem postquam ab eodem patri forent requisiti. Item dictus procurator exhibuit terciam litteram sigillo Reynerii Bellinzonis, socii et procuratoris societatis Pulicum et Rimbertinorum de Florencia, et sigillis domini Willelmi episcopi Sancti Andree ac capituli de Kelkow sigillatam, in quo continebatur dictum Reynerium recepisse a dicto Karliolensi episcopo duo milia et trescentas libras sterlingorum de pecunia dicte decime. Item dicebat dictus procurator memoratum episcopum, dominum suum, liberasse Gerardo Simonetti, socio et procuratori societatis Pulicum et Rimbertinorum, sexcentas triginta tres libras, sex solidos, octo denarios sterlingorum de pecunia dicte decime, per unam litteram sigillo ejusdem Gerardi sigillatam : set sigillum capituli Karlioli eidem appensum non erat, prout scriptum fuit debere fieri in eadem. Item dictus procurator dicebat predictum dominum suum ad mandatum sanctissimi patris domini Bonifacii pape VIII liberasse Abrachio Gerardi et Gerardo Simonetti, civibus et mercatoribus Florentinis de societate Pulicum et Rimbertinorum, decem milia marcas : scilicet, in pecunia numerata decem libras, octo solidos, duos denarios obolum quadrantem, et in litteris cyrographatis pede compoti diversorum subcollectorum dicte decime in multis diocesibus regni Scocie deputatorum sex milia sexcentas quinquaginta sex libras, quinque solidos, unum denarium quadrantem. Unde exhibuit unum instrumentum publicum manu Johannis quondam Egidii de Amelia, sancte Romane ecclesie auctoritate notarii publici, scriptum et signatum ac etiam sigillis predictorum Abrachii et Gerardi sigillatum, in quo inter cetera continebatur quod si contingat quod predicti subcollectores ac persone in eo nominate dictam quantitatem pecunie, in eorum litteris contentam, eis vel alicui eorum seu alii de dicta societate non dederint seu assignaverint in pecunia numerata, supradictas litteras cyrographatas supradicto episcopo restituent seu restituet aliquis eorum : set an dicti mercatores vel eorum aliquis dictam pecuniam a dictis collectoribus seu aliis personis in dictis litteris cyrographatis contentis receperunt, dictus procurator dictis abbati et decano constare non docuit. Exhibuit etiam dictus procurator super dicto compoto rescriptum domini Bonifacii pape VIII de decem milibus marcis solvendis de dicta decima societati Pulicum et Rimbertinorum, de quibus supra fit mencio. Item exhibuit dictus procurator instrumentum Restauri Bonaventure, civis et mercatoris de Florencia de societate Spinorum, in quo continebatur quod

recepit a dicto episcopo Karliolensi mille libras sterlingorum de dicta decima, sigillo ejusdem et sigillis prioris et conventus Beate Marie Karlioli et prioris et conventus de Hextoldesham sigillatum. Item exhibuit dictus procurator aliud instrumentum Simonis Gerardi, socii et procuratoris societatis Spinorum de Florencia, de ducentis libris sterlingorum de dicta decima penes eum per dictum episcopum Karliolensem depositis; et erat dictum instrumentum sigillo dicti mercatoris et sigillis abbatum de Kelkow et de Aberbrothok sigillatum. Item exhibuit dictus procurator aliud instrumentum Guidonis Bardi, de societate Spinorum predicta, de ducentis sex libris, tribus solidis et tribus denariis et tribus quadrantibus sterlingorum, eidem per predictum episcopum Karliolensem de dicta decima liberatis, sigillo ejusdem Guydonis et etiam sigillo abbatis de Kelkow consignatum. Item exhibuit dictus procurator aliud instrumentum Restauri Bonaventure et Guydonis Bertaldi, de societate Spinorum predicta, de ducentis quinquaginta et novem libris, septemdecim solidis et duobus denariis sterlingorum, eisdem per dictum episcopum de memorata decima liberatis. Exhibuit etiam dictus procurator rescriptum domini Bonifacii pape VIII de applicacione depositi de pecunia dicte decime penes dictos mercatores de societate Spinorum predicta facti et ab eisdem non repetendi quousque dictus episcopus a sede apostolica aliud receperit in mandatis. De quibus liberacionibus et assignacionibus factis dictis mercatoribus de societate Pulicum et Rimbertinorum summa totalis est undecim milia octingente quater viginti sexdecim libre, decem solidi, octo denarii; et in liberacionibus societati Spinorum summa totalis est mille sexcente sexaginta sex libre, quinque denarii obolus quadrans. Item dicit dictus procurator super compoto allocacionem factam esse per dictum episcopum, dominum suum, abbati de Russi, subcollectori ipsius decime in Insula Mannie per sex annos, de viginti tribus libris, octo solidis, eo quod bona dicti abbatis non taxantur ad centum marcas, ut patet in taxacione facta de bonis abbatis ejusdem. Et est summa totalis liberacionum premissarum in universo tresdecim milia quingente quater viginti quinque libre, decem et novem solidi, unus denarius obolus quadrans. Et sic remanent duo milia ducente sexaginta et una libre, quinque solidi, octo denarii quadrans; de quibus in finali compoto diligencius est calculandum. Predictus vero procurator, juratus de veritate dicenda super omnibus ab eo requirendis circa negocium collectionis decime predicte et obvencionum, requisitus an episcopus Cathenensis (dum vixit) in

[Fo. 28a.] aliquo per se vel per alios intromisit de collectione decime

predicte, respondit quod in nullo se intromisit eo quod, eodem episcopo anno primo collectionis defuncto, tota prosecucio collectionis dicte decime ad dictum Karliolensem episcopum devolvebatur. Item super aliis articulis requisitus, dicit quod dicti rotuli exhibiti non sunt originales set ab originalibus plene et vere sumpti, continentes taxacionem plenam omnium ecclesiasticorum reddituum et proventuum per totum regnum Scocie, exceptis bonis propriis episcoporum Sancti Andree et Glasguensis (quorum quidem bonorum taxacio per consciencias dictorum episcoporum fuerat facta et, ut credit, minus plene), et quod eandem taxacionem colligebat dictus episcopus toto tempore collectionis sue—nec alia taxacione usum fuisse, quod sciat. Item dicit quod, antequam dictus episcopus cum subcollectoribus dicti regni Scocie tractatum habuerit, quantum determinate sit collectum de dicta decima vel quantum sit adhuc levandum seu quantum sit expensum circa prosecucionem dicte decime precise scire non potest. Item requisitus super obvencionibus collectis et colligendis, dicit se omnino nichil scire. Duo tamen collectores obvencionum super dictarum obvencionum negocio exequendo fuerant constituti in toto regno predicto per dictum Karliolensem episcopum, scilicet, magistri Willelmus de Goseford (adhuc superstes) et Willelmus de Irby (qui decessit biennio et amplius elapso), cui subrogatus fuit in eodem collectionis officio per dictum dominum episcopum magister Johannes de Berewes; cum quibus magistris dictus episcopus Karlioli nondum habuit racionem: et donec dicti subcollectores dictum episcopum, dominum suum, informaverint, non potest dictus procurator precise dictos abbatem et decanum informare quid vel quantum sit collectum de dictis obvencionibus vel de caucionibus eo nomine expositis aut qui sunt debitores eorum que in subsidium Terre Sancte fuerint assignata, vel aliis contingentibus hujusmodi collectionis officium memoratum. Instrumenta sane premissa obligatoria mercatorum et littere papales de solucionibus aut depositis pecuniarum dictis mercatoribus factis mencionem facientes penes dictum procuratorem remanserunt. Constitutus insuper in presencia dicti domini decani, memorato abbate ea vice legitime impedito, Philippus Gerardini, socius et mercator de societate Spinorum de Florencia, cui instrumenta contingencia socios et societatem de Spinis, de quibus premittitur, ex certa sciencia fuerant dictis die et loco exhibita, fatebatur sigilla dictis instrumentis nomine sociorum de Spinis, de quibus in eisdem scribitur, appensa vera esse sigilla sociorum suorum in instrumentis eisdem nominatorum, ut credit. Item Gyottus Guydonis, civis et mercator de societate Pulicum et

Rimbertinorum de Florencia, dicebat se credere omnia sigilla instrumentis contingentibus socios et societatem suam, de quibus premittitur, appensa vera esse sigilla sociorum suorum nominatorum in instrumentis eisdem. Et quia dictus dominus decanus ad plenum per premissa non poterat ad presens informari in negocio raciocinii memorato, prefixit diem predicto procuratori dicti Karliolensis episcopi, et domino suo in personam procuratoris ejusdem, in quindena Sancti Michaelis proximo ventura, loco quo prius, ad finaliter computandum super dictis decimis ac etiam super obvencionibus in dicto regno Scocie toto tempore collectionis sue provenientibus; ut, interim auditis per dictum episcopum raciociniis omnium subcollectorum, tam decimarum quam obvencionum, per eundem episcopum deputatorum in regno Scocie prelibato, prout per dictum dominum decanum extitit injunctum, idem Karliolensis episcopus ad plenum informatus dictis die et loco coram dictis dominis abbate et decano, vel eorum altero seu vices gerentibus, legitime compareat instructus plenarium raciocinium rediturum et ad satisfaciendum de claris residuis que tunc per dicti compoti reddiciones contingent effectualiter declarari; necnon ad exhibendum registra et alias quascumque scripturas seu instrumenta per dictum patrem et suos confecta super contingentibus dictas decimas et obvenciones et collectionem earumdem, ac etiam cauciones quascumque expositas per debitores quoscumque in premissis et processus habitos contra eosdem, ac ulterius faciendum et recipiendum super premissis et ea contingentibus quod dicti negocii qualitas et natura postulabit.

In nomine Domini, amen. Anno ab Incarnacione trecentesimo, indictione quartadecima, die septimo decimo mensis Marcii, in presencia mei, notarii publici, et testium subscriptorum, apud Novum Templum, Londonie, recitato coram venerabilibus viris dominis abbate monasterii Sancte Crucis de Waltham et decano ecclesie Londonie, executoribus super decimis et obvencionibus, domino E. Dei gracia regi Anglie illustri in subsidium Terre Sancte concessis, per sanctissimum patrem dominum Bonifacium divina providencia papam VIII specialiter deputatis, quodam instrumento publico per me notarium infrascriptum super compoto decime bonorum ecclesiasticorum regni Scocie reddito die Lune proxima post festum Purificacionis Beate Marie virginis, anno Domini supradicto, per Willelmum de Rodington, clericum et procuratorem reverendi patris domini Dei gracia Karliolensis episcopi, continente inter cetera liberaciones et assignaciones infrascriptas: videlicet, per unam litteram de octingentibus triginta tribus libris, quindecim

solidis, sex denariis obolo sterlingorum, liberatis Gerardo Simonetti, de societate Pulicum et Rimbertinorum de Florencia, sigillis ejusdem Gerardi et capituli Karlioli sigillatam. Item unum instrumentum sigillis Abrachii Gerardi et Gerardi Simonetti, civium et mercatorum Florencie de Societate Pulicum et Rimbertinorum sigillatum; in quo continebatur ipsos a predicto domino Karliolensi episcopo recepisse in pecunia numerata sexaginta sex libras, tresdecim solidos et quatuor denarios, et in litteris obligatoriis diversorum subcollectorum mille trecentas quater viginti sexdecim libras, viginti denarios obolum sterlingorum; obligantes se ad restitucionem tante pecunie vel dictarum litterarum
[Fo. 28b.] obligatoriarum dicto patri faciendam infra mensem postquam ab eodem patri forent requisiti. Item ceteram litteram sigillo Reynerii Bellinzonis, socii et procuratoris societatis predicte, et sigillis domini Guillelmi, episcopi Sancti Andree, ac capituli de Kelkow sigillatam; in qua continebatur dictum Reynerium recepisse a dicto Karliolensi episcopo duo milia et trecentas libras sterlingorum de pecunia dicte decime. Item quartam litteram sigillo Gerardi Simonetti sigillatam, set sigillum capituli Karlioli eidem appensum non erat prout scriptum fuit debere fieri in eadem; in qua continebatur predictum episcopum liberasse Gerardo Simonetti sexcentas triginta tres libras, sex solidos et octo denarios sterlingorum. Item exhibuit dictus procurator unum publicum instrumentum manu Johannis quondam Egidii de Amelia, sancte Romane ecclesie auctoritate notarii publici, scriptum et signatum, ac etiam sigillis predictorum Abrachii et Gerardi sigillatum; in quo continebatur dictum dominum episcopum ad mandatum sanctissimi patris domini Bonifacii pape Octavi liberasse Abrachio Gerardi et Gerardo Simonetti, civibus et mercatoribus Florencie de societate Pulicum et Rimbertinorum, in pecunia numerata x li. viijs. ijd. ob. q., et in litteris cyrographatis pede compoti diversorum subcollectorum dicte decime in multis diocesibus regni Scocie deputatorum vj^{m} vj^{c} lvj li. vs. jd. q. In quo quidem instrumento inter cetera continebatur quod si contingat quod predicti subcollectores ac persone in eo nominate dictam quantitatem pecunie in eorum litteris contentam eis vel alicui eorum seu alii de dicta societate non dederint seu assignaverint in pecunia numerata, supradictas litteras cyrographatas supradicto episcopo restituent seu restituet aliquis eorum. Abrachius Gerardi, civis et mercator Florentinus de societate Pulicum et Rimbertinorum de Florencia, nomine suo et sociorum suorum ac societatis sue predicte, anno, indictione, die

et loco predictis, ac etiam coram executoribus prenotatis, infrascripta protestacione premissa, confessus est et recognovit liberaciones et assignaciones in supradictis litteris suis et sociorum suorum, prout in litteris suis et sociorum suorum continetur, contentas esse veras et quod sigilla sua et sociorum predicte societatis ex certa sciencia sua et sociorum suorum predictis litteris sunt appensa: protestando ante omnia quod per predictas confessionem et recognicionem coram executoribus antedictis per eumdem Abrachium factas de negociis supradictis nullum sibi vel sociis suis seu societati predictis prejudicium generetur nec per eas, si de eisdem imperpetuum appareret per instrumentum aliquod publicum vel privatum vel per aliquos rotulos seu acta, conveniri vel inquietari possint vel debeant, vel aliqua ex eisdem vel earum occasione actio oriatur vel exactio vel condempnacio fieri possit, vel aliqua novacio facta sit vel fieri intelligatur per easdem, vel nova obligacio nascatur vel antique obligaciones et actiones jam nate dupplicentur, inmutentur vel diminuantur, vel eisdem aliquid accedat vel discedat per ipsas, set solum per litteras, de quibus supra fit mencio, possit fieri peticio et exactio de summis in eisdem litteris contentis secundum tenorem litterarum earumdem et non alias vel alio modo: et quod de eisdem per litteras alias vel per presentes recognicionem et confessionem non fiat aliqua exactio vel peticio, nisi per litteras antedictas: et quod jus sibi et sociis ac societati predictis acquisitum per aliquas litteras apostolicas per easdem recognicionem et confessionem in aliquo non evanescat vel diminuatur. Ex parte vero dicti domini episcopi similiter protestatum fuit, anno, indictione, die et loco predictis, quod si aliqua vel alique alie littere dictorum mercatorum continentes alias summas de liberacionibus et assignacionibus eisdem mercatoribus vel alicui eorum factis seu assignatis per dictum episcopum imposterum appareant, quod vim et effectum habeant quatenus de jure debeant, predictis compoto et protestacione non obstantibus. Predicti autem executores supradictas protestaciones, et ea que continebantur in eis, admiserunt. Presentibus fratre Stephano de Brecham, canonico de Waltham, magistris Johanne de Manhale, rectore medietatis ecclesie de Levereton, Lincolniensis diocesis, Roberto de Jarkenvill et Roberto de Baudak et Willelmo de Meleford, clericis, testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

In nomine Domini, amen. Per presens publicum instrumentum appareat evidenter quod anno ab Incarnacione ejusdem millesimo trecentesimo, indictione quartadecima, die septimo decimo mensis Marcii, in presencia mei, notarii publici infrascripti,

et testium subscriptorum, apud Novum Templum, Londonie, ostensis et lectis coram venerabilibus viris dominis abbate Sancte Crucis de Waltham et decano ecclesie Londonie, executoribus super decimis et obvencionibus, domino E. Dei gracia regi Anglie illustri in subsidium Terre Sancte concessis, a sede apostolica specialiter deputatis, quibusdam patentibus litteris continentibus liberaciones et assignaciones infrascriptas: videlicet, per unam litteram de m libris sterlingorum liberatis per reverendum patrem dominum Dei gracia Karliolensem episcopum, de decima in regno Scocie collecta, Restauro Bonaventure, civi et mercatori Florentino de societate Spinorum de Florencia, sigillo ejusdem Restauri et sigillo prioris et conventus Beate Marie Karlioli et prioris et conventus de Extoldesham sigillatam. Item aliam litteram de ducentis libris sterlingorum de dicta decima liberatis Simoni Gerardi, socio et procuratori societatis Spinorum de Florencia, sigillo ejusdem Simonis et abbatum de Kelkow et de Abirbrothock sigillatam. Item terciam litteram de ccvj li. iijs. iijd. ob. q. sterlingorum de dicta decima liberatis Guidoni Bardi, de societate Spinorum predicta, sigillo ejusdem Guydonis et sigillo abbatis de Kelkow consignatam. Item per quartam litteram de cclix li. xvijs. et ijd. sterlingorum de dicta decima liberatis Restauro Bonaventure et Guydoni Bertaldi, de societate Spinorum de Florencia,
[Fo. 29a.] sigillis eorumdem Restauri et Guidonis sigillatam. Philippus Gerardini, de societate Spinorum de Florencia, nomine suo et sociorum suorum de societate sua predicta, anno, indictione, die et loco predictis, ac etiam coram executoribus prenotatis, confessus est et recognovit liberaciones et assignaciones in supradictis litteris sociorum suorum, prout in ipsis litteris continetur, contentas esse veras; et quod sigilla sociorum suorum et predicte societatis ex certa sciencia sua et sociorum suorum in predictis litteris nominatorum sunt appensa: protestando quod per predictas confessionem et assignacionem coram executoribus antedictis per eumdem Philippum factas de negociis supradictis nullum sibi vel sociis suis ac societati predictis prejudicium generetur, nec per easdem recognicionem et confessionem, si de eisdem imperpetuum appareret per instrumentum aliquod publicum vel privatum, conveniri vel inquietari possint vel valeant; set solum per litteras, de quibus supra fit mencio, possit fieri peticio et actio de summis in eisdem litteris contentis secundum tenorem litterarum earumdem: et quod jus sibi et sociis ac societati predictis acquisitum per aliquas litteras apostolicas per easdem recognicionem et confessionem in aliquo non evanescat vel diminuatur. Presentibus

magistris Johanne de Manhale, rectore medietatis ecclesie de Levereton, Lincolniensis diocesis, Willelmo de Meleford, Roberto de Jarkenvill, Roberto de Bureford, Adam de Baudak, clericis, testibus ad hoc vocatis specialiter et rogatis.

[*The Bishop authorizes the Abbot and Convent of Holm Cultram to build a church, or chapel, at their town of Skinburness.*]

J. miseracione divina Karliolensis episcopus dilectis sibi in Christo filiis abbati et conventui monasterii Sancte Marie de Holmcoltran, ordinis Cisterciensis, nostre Karliolensis diocesis, salutem, graciam et benedictionem. Basilicarum sanctarum sive ecclesiarum nova constructio eo potissime alicubi est necessaria quo, Regi Summo in eisdem misticis muneribus complacato, animarum saluti melius perspicitur, dum populus Christianus reddatur devocior et in alterius prejudicium non redundet. Advertentes siquidem villam sive burgum vestrum juxta portum de Skinburnese infra fines vestros de Holmcoltran et extra limites ecclesiarum parochialium nostre diocesis, ut ex assercione quamplurium intelleximus, situatum et ab eisdem esse multum distantem, vobis auctoritate nostra pontificali, intuitu Dei, ad Ipsius cultus augmentum ac ob vestre sacre religionis reverenciam et animarum profectum, concedimus et specialiter indulgemus pro nobis et successoribus nostris ut liceat vobis in loco competenti infra solum vestrum dicte ville sive burgi unam capellam sive ecclesiam de novo construere pro vestris inquilinis ibidem et alibi infra fines vestros de Holmcoltran, extra tamen limites aliarum ecclesiarum adjacencium, morantibus et processu temporis moraturis ac aliis supervenientibus. Quam capellam sive ecclesiam cum cimiterio, cum constructa fuerit juxta decenciam qua convenit, omnibus insigniis parochialibus volumus ac decernimus insigniri; ipsam cum omnibus decimis et obvencionibus quibuscumque, a dictis inquilinis sive aliis provenientibus, vobis et monasterio vestro de Holmcoltran ac successoribus vestris pro hospitum et pauperum suscepcione auctoritate diocesana annectimus et eas appropriamus ac in usus proprios et successorum vestrorum pro nobis et successoribus nostris imperpetuum possidendas libere concedimus per presentes. Volumus etiam et concedimus pro nobis et successoribus nostris quod vos et successores vestri nobis et successoribus nostris seu officialibus nostris, cum extra nostram diocesim contigerit nos abesse, presbiterum ydoneum secularem per vos eligendum et, cum vobis placuerit, amovendum, quociens opus

fuerit, presentetis ; cui labore stipendia necessaria juxta status sui et cure exigenciam [. . .]irabitis, prout inter vos poterit melius convenire. Qui quidem presbiter a nobis et successoribus nostris curam ipsius capelle sive ecclesie inquilinorum predictorum infra fines predictos morancium et morandorum recipiet, eidem capelle sive ecclesie deserviet et inquilinis predictis ac aliis supervenientibus sacramenta ecclesiastica canonice ministrabit ; excessus vero hujusmodi inquilinorum et aliorum superveniencium et omnia alia et singula ibidem corrigenda et jure ordinario approbanda, que ad nostram jurisdictionem ordinariam de jure sive consuetudine nostre Karliolensis diocesis spectant, nobis et successoribus nostris, officialibus nostris, ac aliis ministris nostris ecclesiasticis fideliter nunciabit, et injuncta nostra et ministrorum nostrorum canonica reverenter recipiet et diligencius exequetur. Quod si vos vel successores vestri in presentando presbiterum ydoneum ad dictum locum nobis et successoribus nostris negligentes fueritis aut fuerint et remissi, vel ultra mensem a tempore amocionis presbiteri tunc amoti id facere distuleritis seu vestri distulerint successores, licebit nobis et successoribus nostris dictam capellam sive ecclesiam suspendere obvencionesque et decimas vobis (ut premittitur) appropriatas sequestrare et eas nostris usibus applicare quousque unum capellanum ydoneum ad dictam capellam sive ecclesiam duxeritis presentandum ; omnibus et singulis privilegiis, vobis et ordini vestro a sede apostolica indultis, vobis et successoribus vestris semper salvis. Per istam concessionem nostram ecclesiarum parochialium nostre diocesis juribus non intendimus derogari, sed ea, si que fuerint, persistere volumus illibata. In cujus rei testimonium presentibus sigillum nostrum apposuimus. Data apud Bridekirk, vj idus Augusti anno Domini M° CCC° primo et pontificatus nostri nono.[1]

[Carlatton R.—*The finding of the Inquisition after the presentation made by the Bishop of Durham.*]

Venerabili in Christo patri domino J. Dei gracia Karliolensi episcopo suus officialis, debitam obedienciam cum honore. Litteras vestras nuper recepi in hec verba. Johannes miseracione divina Karliolensis episcopus dilecto in Christo filio magistro Johanni, officiali suo, salutem, graciam et benedictionem. Presentavit nobis

---

[1] This entry has been cancelled in the MS. by four intersecting lines drawn across it. The town of Skinburness seems to have been destroyed by the sea shortly after this date. See Nicolson and Burn, *Cumberland*, p. 177.

venerabilis pater dominus A., Dei gracia Dunelmensis episcopus, Robertum de London, clericum, ad ecclesiam de Carlaton, nostre diocesis, vacantem et ad suam presentacionem spectantem, ut dicit. Hinc est quod vobis mandamus quatinus in pleno loci capitulo diligencius inquiratis si dicta ecclesia vacet, qualiter vacat, a quo tempore vacaverit, quis sit verus patronus ejusdem et quis ad eandem tempore pacis ultimo presentavit; quantumque
[Fo. 29b.] valeat, si sit litigiosa vel pensionaria, et cui et in quantum; de moribus etiam presentati, de litteratura, ordinibus et etate, ac aliis consuetis articulis in hac parte. Facta vero inquisicione, eam sigillis eorum, per quos facta fuerit, signatam et sigillo nostro inclusam maturitate qua convenit transmittatis. Data apud Apiltreley, ij nonas Septembris pontificatus nostri anno nono.

Hujus igitur auctoritate mandati in pleno loci capitulo, vj nonas Octobris, celebrato a rectoribus et vicariis ecclesiarum de Ayketon, Bampton, Castelkayrok, Beaumont, Denton, Kirkandres, Irtington, Crosseby, Stannewegges, Burgo, Brampton et Farlam, super premissis diligencius inquisivi. Qui dicunt quod ecclesia de Carlaton vacat, et vacavit a festo Sancti Barnabe apostoli. Dicunt etiam quod bone memorie dominus Alexander, rex Scocie, ad eandem ultimo presentavit; et non est litigiosa nec pensionaria. Dicunt etiam quod dominus episcopus Dunelmie tenet villam de Carlaton, set hesitant utrum sit verus patronus illius ecclesie. De condicionibus presentati et moribus nil sciunt. In cujus rei testimonium presentem inquisicionem sigillis dictorum rectorum et vicariorum signatam, sub sigillo officialitatis vestre inclusam, vestre reverende paternitati transmitto. Actum die, anno Domini, et capitulo supradictis.

[Bowness R.—*Institution; with a note on the dispensation granted.*]

INSTITUCIO DOMINI ROALDI DE RICHEMUND IN ECCLESIA DE BOUNEYS.

Johannes miseracione divina etc. dilecto in Christo filio Roaldo de Richemund, acolito, salutem, graciam et benedictionem. Ad ecclesiam parochialem de Bouneys, nostre diocesis, vacantem, ad quam per dominam Adam de Feritate, veram patronam ejusdem, nobis presentatus existis, te admittimus graciose et rectorem instituimus in eadem. Data apud Rosam, xvij kalendas Novembris anno Domini M°CCC° primo, pontificatus nostri decimo.

Et die supradicto habuit litteram dispensacionis super non residencia et super ordine presbiteratus per triennium, ita quod se

faciat ordinari in subdiaconum infra annum et in dyaconum infra dictum terminum.

[*Notification of appeals against the removal, by order of Bishop Halton, of a cause pending before him, as judge-delegate, from the diocese of York to that of Durham.*]

Venerabili in Christo patri domino J. Dei gracia Karliolensi episcopo, judici unico in causa appellacionis que asseritur ab auditore dominorum decani et capituli Beati Petri Eboraci ex parte Matildis filie Gilberti de Heword, militis, tunc Eboracensis diocesis, in causa que coram eodem auditore inter Brianum Burdon, Eboracensis diocesis, ex parte una, et ipsam, ex altera, movebatur ad sedem apostolicam interjecta, ab eadem sede (ut pretenditur) deputato, officialis curie Eboraci, salutem cum reverencia et honore debitis tanto patri. Sua nobis prefatus Brianus peticione monstravit quod, cum ipse coram vobis, ex delegacione hujusmodi apostolica inter memoratas partes cognoscentibus, certis die et loco legitime comparens in forma juris proposuisset et etiam allegasset quod virtute rescripti apostolici in hac parte vobis directi extra dictam Eboracensem diocesim absque causa racionabili et legitima in Dunolmensem diocesim de jure invitus trahi non poterat nec debebat, vos tamen, hujusmodi proposicione et allegacione non obstante, eundem Brianum extra dictam Eboracensem diocesim in diocesim Dunolmie, licet nulla causa racionabilis seu legitima quare id fieri deberet subesset vel pretenderetur aliqualiter in hoc casu, contra naturam et qualitatem rescripti apostolici memorati trahendum et conveniendum fore contra justiciam decrevistis, ac copiam mandati apostolici virtute cujus in prefata causa appellacionis vos procedere dicebatis (quo predicta Matildis usa fuerat in judicio coram vobis), quam nuncquam habuit sed jure habere debuit, sibi dare vel decernere, licet hoc fieri cum instancia petivisset, indebite denegastis in juris injuriam et dicti Briani prejudicium non modicum et gravamen. Propter que et eorum quodlibet senciens se per vos minus debite pregravari sacrosanctam sedem apostolicam directe et curiam Eboraci pro tuicione legitime, ut asserit, appellavit. Quocirca vobis auctoritate curie Eboraci firmiter inhibemus (quod per vos quibuscuncque commissariis vestris ac omnibus aliis, quibus jus inhiberi exigit et permittit, inhiberi volumus et mandamus) ne, pendente coram nobis hujusmodi tuitorie appellacionis causa, quicquam in dicte partis appellantis prejudicium attemptetis seu faciatis per aliquos aliqualiter attemptari quominus appellacionem suam utramque, ut est justum

libere prosequatur: citantes nichilominus peremptorie partem appellatam quod compareat coram nobis vel commissario nostro in majori ecclesia Eboraci die Veneris proxima post festum Sancte Trinitatis in predicta tuitorie appellacionis causa processura, factura ulterius et receptura secundum dicti negocii qualitatem et naturam et Eboracensis curie consuetudinem quod justicia suadebit. Ac vos ibidem intersitis, si vestra videritis interesse. De die vero porrectionis presencium vobis facte et quicquid faciendum duxeritas in premissis, nobis vel commissario nostro ad dictum diem fideliter intimetis per vestras patentes litteras harum seriem continentes. In Christo Jesu diu valeat et vigeat vestra paternitas reverenda. Data apud Giseburn, vij idus Maii anno gracie M° CCC° primo.

[*Bond of William Armstrang, of Ousby, and his wife Sybil de Halgton, to render to Sara Falkard three skeps of oatmeal, six ells of russet, and one mark of silver annually for lands in Ousby. The Bishop is one of the sureties.*]

Universis presentes litteras inspecturis Willelmus filius Ade Armstrang, de Ulnisby, et Sibilla de Halgton, uxor ejusdem, salutem in Domino sempiternam. Noveritis nos teneri et tenore presencium obligari Sarre dicte Falkard, de Ulnisby, in tribus eskeppis bone farine avene, solvendis eidem Sarre apud Karliolum singulis annis, dum vixerit, ad tres anni terminos per equales porciones, videlicet ad festum Pasche, Assumpcionis Beate Virginis, et Sancti Andree apostoli; necnon in sex ulnis russeti, precii octo solidorum, singulis annis contra Natale Domini; et in una marca argenti ad festa Pentecostes et Sancti Martini in hyeme, pro terris, redditibus, tenementis et serviciis, que dicta Sarra nobis in villa et territorio de Ulnisby per cartam dedit et concessit. Ad quam quidem solucionem predictis terminis et loco fideliter faciendam obligamus nos et omnia bona nostra, mobilia et immobilia, necnon et heredes nostros, et specialiter omnes illas terras et tenementa que ex dono et concessione dicte Sarre habemus in dicta villa et territorio de Ulnisby, ad cujuscuncque manus devenerint. Quod si in solucione dictorum pecunie, farrine, vel russeti in predictis terminis in toto vel in parte cessatum fuerit quoquomodo, volumus et concedimus quod dicta Sarra vel ejus attornatus predictas terras nostras licite ingrediatur et omnia bona ibidem existencia capiat et detineat qua vadium et plegium, quousque eidem Sarre de farrina, pecunia, et russeto predictis, necnon et de dampnis et expensis suis, plenarie fuerit satisfactum. Et ad majorem hujus rei securitatem predicte Sarre dominum Johannem, Dei gracia Karliolensem

episcopum, et Adam Armstrang, de Ulnisby, fidejussores invenimus, quorum quilibet ad omnia et singula predicta dictis terminis et loco solvenda principalem et in solidum se constituit debitorem. In cujus rei testimonium nos, Willelmus, et Sibella de Haulton, uxor mea, et nos, Johannes, Dei gracia Karliolensis episcopus, et Adam Armstrang, presenti scripto sigilla nostra apposuimus seriatim. Datum et actum apud Karliolum, die Sancte Scolastice virginis anno Domini M° CC° nonagesimo nono.

[*The Bishop acknowledges the receipt of wheat and wine from the King's receiver of victuals at Carlisle.*]

Universis pateat per presentes quod nos Johannes, miseracione divina Karliolensis episcopus, recepimus de domino Jacobo de Dalyleyge, clerico, receptore victualium domini regis apud Karliolum, viginti quarteria frumenti et duo dolia vini, de prestito, per mandatum domini Johannis de Drokenesford, custodis garderobe regis; de quibus dictum dominum Jacobum erga eundem dominum Johannem et quoscunque alios custodes garderobe regis, cum per eosdem fuerimus requisiti, acquietare promittimus per presentes. In cujus rei testimonium sigillum nostrum presentibus est appensum. Data apud Rosam, iij idus Julii . . . .

[Fo. 30a.]

[*The King (apparently now the guest of the Bishop at Rose) commands his Justice of the Forest to desist from molesting the Bishop and his men in the exercise of their right of common.*]

PASTURA DE INGLEWOOD.

E. Dei gracia etc. dilecto et fideli suo Roberto de Clifford, justiciario foreste sue citra Trentam, salutem. Ex parte venerabilis patris J. Dei gracia episcopi Karlioli nobis est ostensum quod, cum ipse et homines sui infra metas foreste nostre Denglewode commorantes communicare debeant et idem episcopus ac predecessores sui, episcopi ejusdem loci, eorumque homines infra predictas metas commorantes semper hactenus, a tempore quo memoria non extat, communicare consueverunt cum omnimodis averiis suis per totam forestam nostram predictam, tam infra coopertum quam extra, exceptis landis nostris, vos et ministri vestri foreste predicte ipsum episcopum et homines suos predictos quominus cum averiis suis in foresta predicta communicare possint, ut solebant, jam de novo auctoritate vestra impedivistis et adhuc impeditis, averia sua ibidem pascencia imparcando et imparcata pro voluntate vestra

detinendo minus juste in ipsius episcopi dampnum non modicum et ecclesie sue Beate Marie Karlioli et heredacionis periculum manifestum. Et quia nolumus quod eidem episcopo aut hominibus suis in hac parte taliter injurietur, vobis mandamus quod (si ita sit) tunc ab hujusmodi impedimentis indebitis prefato episcopo aut hominibus suis predictis super hoc inferendis desistentes et ministros vestros predictos desistere facientes, ipsum episcopum et homines suos predictos infra forestam predictam cum omnimodis averiis suis communicare permittatis, sicut ibidem communicare debent et idem episcopus et predecessores sui ac eorum homines sui predicti semper hactenus a tempore quo non extat memoria ibidem communicare consueverunt. Teste me ipso apud La Rose, xxiij die Septembris anno regni nostri vicesimo octavo.

[*The King desires that the Bishop may have from Inglewood Forest 60 pikerels for stocking the ditches of Carlisle Castle, and 20 oaks for repairs, etc. See Raine's "Letters and Papers", p. 137.*]

DENGLEWOD.

E. par la grace Dieu, etc., a nostre foial e loial Robert de Clifford, justice de nostre forest de cea Trente, saluz. Nous vous mandoms que levvesque de Cardoill suffrez prendre seyssante pikerels en nostre lay, qui est apele le lay Kybraid, qui est dedens les bundes de nostre forest Denglewode, pour estorer ent nos fosses entour le chastel de Cardoill; e li facez livrer ausint vint cheisnes, covenables pour meriem, dedens nostre forest avantdite, por repareiller lez mesons e lez ponntes e redrecer les kerneaus du chastel avantdit. Done sous nostre prive seal a Staynewik, le xxv jour de Septembre lan de nostre regne xxvj.

[*The Bishop asks the Collectors of the Holy Land tenth to have the benefices in his diocese, wasted by Scottish incursions, etc., relaxed according to their present lowered value. See Raine's "Letters and Papers", p. 151.*]

Venerande religionis viro domino abbati de Waltham, collectori sive executori decime omnium ecclesiasticorum beneficiorum et reddituum in toto regno Anglie domino E., Dei gracia regi Anglie illustri, per sedem apostolicam concesse in subsidium Terre Sancte, una cum venerabili viro domino decano Sancti Pauli, Londoniis, per eamdem sedem specialiter deputato Johannes, miseracione divina Karliolensis episcopus, salutem et paratam ad beneplacita voluntatem. Sancta Romana ecclesia, universarum ecclesiarum pia domina et magistra, in imponendo omnibus suis

subditis deliberacione provida sic disponit ut, pensatis cotidianis et necessariis expensis incumbentibus, ipsius subditi onera imposita absque gravi possint incomodo tollerare: per quod filialis obediencia fit devocior, ad obsequendum prompcior, et ad subveniendum pronior gratis affectibus et votivis. Sane vestram discrecionem providam credimus non latere qualiter subdola gens Scotorum nostram diocesim quadriennio jam elapso, manu hostili invadens, ipsam cum suis incolis pro magna parte destruxit pariter et combussit, adeo quod quidam religiosi, destructis monasteriis, proch dolor! sint dispersi: nonnullis ecclesiis cum parochiis in cinerem et favillam redactis, curati, non valentes ex earum proventibus sustentari, aliorum stipendiarii sic effecti mendicare aliena suffragia sunt compulsi. Cum igitur religiosi viri prior et conventus ecclesie Beate Marie Karlioli, subcollectores vestri dicte decime in civitate et diocesi nostra Karlioli, a nobis et clero nostro decimam bonorum ecclesiasticorum et reddituum nostrorum, secundum taxacionem per dominos Wyntoniensem et Lincolniensem ante hujusmodi destructionem et combustionem factam, pro quarto et quinto anno, non per vos, ut creditur, set motu proprio exigere nunc conantur nosque sic ad impossibile coartare, vestram circumspectam benevolenciam iteratis precibus humiliter imploramus quatinus statu lamentabili nostre diocesis, que adhuc continuis oppressionibus per regales excercitus diversarum nacionum quasi irrecuperabiliter deprimitur, humano compacientes affectu, prefatis subcollectoribus vestris velitis dare per vestras litteras in mandatis ut secundum valorem beneficiorum nostrorum reddituum hiis diebus decimam exigant nunc petitam: cum felicis recordacionis Nicholaus papa Quartus, hujus decime impositor seu concessor, beneficia statuit sic taxari de taxatis, decimam sic persolvi, ut ecclesie ipsarumque rectores, precisa materia scandali, possent ipsam taxacionem sine gravi incomodo tollerare: ac decime solucio integralis secundum taxacionem impossibilis fit omnino. Premissa siquidem sine culpa nostra post predictam taxacionem emersa infra cordis vestri intima in visceribus caritatis et compunctionis humane compassionaliter, si libeat, revolventes, sic oppressis debitum remedium et equitati consonum per viam nove taxacionis seu respectus ad presens dignemini impertiri ut cumulus vestri meriti et honoris accrescat et afflicti se senciant aliqualiter relevatos. Statum vestrum prosperum cum incremento felici conservet Altissimus et semper dirigat in honore. Data Karlioli, xvij kalendas Decembris anno Domini M° CCC° primo.

[*Proxy of Robert de Blencou to act for the Bishop and clergy of the diocese of Carlisle.*]

Universis pateat per presentes quod nos Johannes, miseracione divina Karliolensis episcopus, ac clerus civitatis et diocesis nostre Karliolensis in omnibus causis et negociis nos et ecclesias nostras qualitercunque contingentibus coram quibuscunque judicibus, ordinariis seu delegatis, inquisitoribus, executoribus, meris vel mixtis, qualemcunque nocionem seu cohercionem habentibus, dilectum nobis in Christo magistrum Robertum de Blencou, clericum, procuratorem nostrum facimus, ordinamus, et constituimus per presentes; dantes eidem specialem potestatem, nomine nostro et ecclesiarum nostrarum, agendi, defendendi, excipiendi, appellandi, appellacionem prosequendi, status nostri reformacionem et in integrum restitucionem petendi et recipiendi, juramentum de [ca]lumpnia et de veritate dicenda, necnon quodlibet aliud genus liciti sacramenti in animas nostras, prestandi, et omnia alia faciendi sine quibus premissa nequeunt expediri; et cauciones, rem ratam haberi et judicatum solvi pro eodem procuratore nostro sub ypotheca rerum nostrarum promittimus in hiis scriptis. Et hoc omnibus et singulis quorum interest vel interesse poterit tenore presencium intimamus. In cujus rei testimonium nos, Johannes episcopus antedictus, pro nobis et pro dicto clero nostro ad ipsius peticionem sigillum nostrum huic procuratorio duximus apponendum. Datum Karlioli, xviij kalendas Decembris anno Domini M° CCC° primo.

[Fo. 30b.]

[*Writ to the Bishop, forbidding him to take toll, stallage and terrage in his vill of Horncastle from citizens of Lincoln, who are quit of toll throughout England.*]

E. Dei gracia etc. venerabili in Christo patri J. eadem gracia episcopo Karlioli, salutem. Cum nos cartas quorumdam progenitorum nostrorum, regum Anglie, per quas concessum est civibus nostris Lincolnie, inter alias libertates in cartis illis contentas, quod iidem cives quieti sint a prestacione theolonii, stalagii et terragii per totum regnum nostrum, jam de novo confirmaverimus per cartam nostram concesserimusque pro nobis et heredibus nostris per eandem cartam eisdem civibus quod, licet ipsi aliqua vel aliquibus libertatum in dictis cartis contentarum et expressarum hactenus plene usi non fuerint, ipsi tamen et successores sui libertate vel libertatibus illis gaudeant et utantur, vobis mandamus quod ipsi cives ad villam vestram de Horncastro cum bonis et rebus suis venientes a prestacione theolonii, stalagii et terragii in villa vestra predicta

quietos esse permittatis, juxta tenorem cartarum et concessionis nostre predictarum, et districtionem, si quam eis ea occasione feceritis, sine dilacione relaxetis eisdem. Teste me ipso aput Lynliscu, primo die Novembris anno regni nostri vicesimo nono.

[*Writ of Entry against the Bishop as to lands in Horncastle, etc.*]

THOMAS DE SWYNEFORD.

Rex vicecomiti Lincolnie, salutem. Precipe Johanni episcopo Karlioli quod juste etc. reddat Thome de Swyneford et Johanni, fratri ejus, unum toftum, unum molendinum, quadraginta et duas acras terre et quatuordecim acras prati cum pertinenciis in Askeby, Nethirtington, Overtington, Maring et Horncastre, que clamant esse jus et hereditatem suam, et in quo idem episcopus non habet ingressum nisi per Robertum Chaury, quondam episcopum Karlioli, predecessorem predicti Johannis episcopi Karlioli, cui Willelmus de Swyneford, pater predictorum Thome et Johannis fratris ejus, cujus heredes ipsi sunt, illa dimisit ad terminum qui preteriit, ut dicunt. Et nisi fecerit et predicti Thomas et Johannes frater ejus fecerint etc., tunc summone etc. predictum Johannem episcopum Karlioli quod sit etc. a die Pasche in xv dies etc. Teste me ipso apud Netleham, vj die Februarii anno regni nostri xxix.

[*Licence to the Bishop of Carlisle to ordain Henry le Waleys, one of his clergy, in the diocese of Lincoln.*]

Venerabili in Christo patri domino, . . Dei gracia Carleolensi episcopo, Johannes, ejusdem permissione Lincolniensis ecclesie minister, salutem et sincere caritatis in Domino continuum incrementum. Ut Henricum le Waleys, rectorem ecclesie de Dufton, vestre diocesis, ad convenientes sibi ordines infra nostram diocesim promovere possitis, liberam vobis tenore presencium concedimus facultatem. Data apud Oseneye, viij idus Februarii anno Domini M° CCC° primo.

[*Dispensation to Henry le Waleys: to study.*]

Memorandum quod dispensatum est cum Henrico le Waleys, dyacono, quod stare possit in scolis per quinquennium a tempore regiminis sibi commissi et quod interim ad ulteriores ordines promoveri minime compellatur, secundum constitucionem novellam.

[*Proxy to act for Bishop Halton at the audit of the accounts of the Scottish crusading tenth before the Abbot of Waltham and the Dean of St. Paul's.*]

Omnibus pateat per presentes quod nos J., miseracione divina Karliolensis episcopus, executor super decimis et obvencionibus per totum regnum Scocie domino Edwardo, Dei gracia regi Anglie illustri, per felicis recordacionis Nicholaum papam Quartum concessis in subsidium Terre Sancte ad sex annos per sedem apostolicam specialiter deputatus, coram venerabilibus viris dominis abbate de Waltham et decano Sancti Pauli, Londonie, auditoribus compoti nostri, vel eorum altero seu eorum vices gerentibus, secundum formam, vim et effectum mandati de decimis et obvencionibus memoratis per dictam sedem dati, ad computandum de predictis et faciendum super dicto compoto pro nobis et [nomine] nostro, quibuscunque diebus et locis contigerit nos abesse, quicquid natura negocii et facti qualitas in hoc casu exigit et requirit, a tempore quo intromisimus de eisdem, dilectos nobis in Christo dominum Willelmum de Burdon, Willelmum de Rodington et Robertum de Halugton, clericos, procuratores nostros conjunctim et divisim et eorum quemlibet per se procuratorem nostrum facimus, ordinamus et constituimus in hiis scriptis: dantes eisdem et eorum cuilibet specialem potestatem nomine nostro agendi, nosque defendendi, raciones, excusaciones et inpedimenta, quibus inpediti sumus decreto dictorum auditorum ad presens parere, allegandi, proponendi ac eas et ea diebus et locis competentibus probandi, quodlibet genus liciti sacramenti quod requiritur in hac parte in animam nostram prestandi, status nostri reformacionem [et in integrum restitucionem ac expen]sas petendi et recipiendi, appellandi, appellacionum causas prosequendi, alium procuratorem loco sui, quociens omnes [et eorum quilibet] viderint seu viderit expedire, substituendi, officiumque procuratorium pro libito voluntatis sue reassumendi, et omnia alia faciendi sine quibus dictum negocium et quodlibet illud contingens nequiverint expediri, etiam si mandatum exigant speciale. Pro eisdem, vero, Willelmo, Willelmo et Roberto, et pro eorum quolibet et substituto seu substitutis ab eisdem et ab eorum quolibet per se, cauciones, rem ratam haberi et judicatum solvi sub ypotheca rerum nostrarum promittimus et exponimus per presentes. Hec omnibus quorum interest tenore presencium intimamus. In cujus rei testimonium sigillum nostrum presentibus est appensum. Datum apud Horncastrum, vj kalendas Maii anno gracie M° CCC° secundo.

[*Abuses of excommunication on the part of the civil power.*]

ARTICULI PROPOSITI CORAM REGE PER ARCHIEPISCOPUM CANTUARIE.

I. Licet generaliter sine delectu personarum consueverat scribi pro capcione quorundam excommunicatorum post xl dies ad suggestionem cujuslibet episcopi suas litteras ad cancellariam domini regis dirigentis, modernis tamen temporibus ad nudam assercionem exemptorum precedencium excommunicatos non esse subditos ordinariorum excommunicancium, denegantur in eadem cancellaria littere capcionis eorundem.

II. Item licet vicecomites plerumque permittunt excommunicatos, per invocacionem brachii secularis captos et incarceratos, discurrere per totum comitatum, quos graciose sic captos assignant pro carceracione durante excommunicacione, ante communem deliberacionem debito modo capti in contemptum ecclesiastice liberantur discipline, propter quod sibi pene hiis diebus timetur.

III. Item quia aliqui de curia domini regis, vocati coram ordinariis ad alia loca diocesanorum vel archidiaconorum extra villam vel parochiam in qua degunt, excommunicantur propter suam contumaciam, quamtumcuncque sit notoria et prout usitata jurisdictio ordinariorum in eosdem, ad solam eorundem assercionem se privilegiatos quod non debent artari extra villam vel parochiam suam, denegatur breve regis pro eorundem capcione.

IIII. Item ubi excommunicati per ordinarios domini regis se suggerunt appellasse, unde eorum assercioni reditur, et breve pro eorum capcione ordinariis denegatur et, si capti fuerint, consimili assercione liberantur.

[Fo. 31a.]

[GREYSTOKE R.—*The custody of the sequestration is committed to R. de Morpayth.*]

J. etc. in Christo magistro R. de Morpayth, salutem, graciam, et benedictionem. Custodiam sequestri nostri, per nos et officialem nostrum in fructibus et proventibus ecclesie parochialis de Graystok, nostre diocesis, nuper impositi usque ad instantem diem Lune proximum post instans festum Sancti Andree apostoli, tibi committimus per presentes, ita quod de eisdem nobis respondeas (prout convenit) cum super hoc per nos fueris requisitus. Data apud Meleburn, nonis Novembris pontificatus nostri anno x.

[*Pope Boniface's reply to the remonstrance addressed to him by the Prelates and Clergy of France after the meeting of the States-General at Paris in April, 1302. See Milman's "Latin Christianity," bk. xi, chap. ix. "Verba delirantis" is not to be found in the registers of the Vatican; but copies have been preserved in a register of the "Trésor des Chartes" and other French MSS. Versions have been printed by Dupuy, "Preuves du Différend," p. 66; Du Boulay, "Hist. Univ. Parisiensis," iv, p. 24 (ostensibly from the "Trésor des Chartes" register); and Raynaldus, "Annales", A°. 1302, p. 327. The text of the Carlisle version is corrupt and has been collated with that of Du Boulay.*]

Verba delirantis filie, quantumcunque desideriis maternis infesta, quantavis enormitate fedata, nequeunt puritatem inficere pie matris et affectum in filiacionis odium provocare maternum, cum in ipsa natorum miseracione quem diligit amor inveniat maternalis; qui, licet de miseracione doleat nature legibus compaciendo filiis, in ipsa tamen miseria consolatur. Sane conturbata sunt nuper universa ecclesie pia precordia in auditu verborum, que sub ficte consolacionis pallio recitando quodammodo composita sunt, ut credimus, nomine predilecte filie ecclesie Gallicane: in matris immaculate pervertunt obprobrium grande malum, quasi qui ab inicio causam quereret recedendi. Set legitur quod frustra rete jacitur ante oculos pennatorum. Ecce collectis ex parlamento Parisius convocato suffragiis mendicatis ne ad vocacionem sedis apostolice vocati venerint, eorundem verborum compositores necessario concludere voluerunt, dampna rerum et minas corporum precipue pretendendo. Scimus equidem multorum relacione fidelium, nec latet apostolice sedis noticiam, que et quanta fuerint in eadem convocacione narrata et precipue que Belial ille P. Flotte, semividens corpore, mente tamen totaliter execatus, ac quidam alii predicarint sanguinem sicientes populi Christiani, qui karissimum filium Phylippum, regem Francie illustrem, trahere nituntur in devium, proch dolor! per iniquum, cum contemptu terre Christianitatis Iherosolimitane sancte, per errorem errante ducatu: qui ducatus miserabiliter a cecis ad mentis interitum, nisi ex alto divina sibi succurrat pietas, propinatur. Quod amare illuget mater ecclesia, circa salutem ejus querens remedium, et meditacione sollicita contra tante majestatis naufragium querit portum. Verum vos, fratres et filii summi, professionis vestre debitum circumspectis consideracionibus attendite, cujus fictionis venenose subgestio deberet in contemptum tante matris obediencie filialis nervum concidere aut debitum pervertere status et ordinis clericalis. Videmini siquidem secundum dicta eorum spem ponere in terrenis, si timore contempseritis celestia terrenorum, seponentes propter timorem judicum Christi jugum. Multa preterea superba,

iniqua et scismatica in eadem fideli convocacione profanata fuerunt per oratores hujusmodi, per que velle videbantur dissuere unitatem ecclesie, inconsutilem tunicam Dei nostri, que per vos debebant reici et pocius non audiri nec etiam recitari: quia noticiam nomen recitatoris non effugit in nostram. In vestram tamen excusacionem advertimus qualiter detractores predicti, ut preconceptum venenum festinantes evomerent, in corde et corde loquentes aliqui, vix inter se moras loquendi gerebant. Verum precipiti in momento temporis respuerunt manna dulcedinis et venenum aspidis effundentes in ecclesie matris obprobrium, universale scandalum et status detrimentum eorum: quia, si eorum verba justo examinarentur examine, eos esse prelatos non indicant, set indignos quibuslibet prelaturis—nec digni sunt regere, verum merito corrigendi. Restat ut colligamus ex verbis eorum que gesta fuerunt absque nostra sciencia machinacionibus venenosis, ut et vos fictis coloribus ab unione universalis ecclesie obducerent nequiter nosque contra vos, quos vellent iniquitatis complices eorum, provocarent. Set in vanum laborant et deficient iniquo scrutatores scrutinio sequaces tante superbie exquirendo, disponentes ab aquilone sedem erigere contra vicarium Jesu Christi: quoniam ut primus Lucifer, cui non fuit huc usque secundus, cecidit, cum sequacibus suis corruet, quantacunque fulciatur potencia, et secundus. Nonne duo principia nituntur ponere qui dicunt temporalia spiritualibus non subesse? Hic jam finem verbis imponimus, fraternitatem vestram in Domino exortantes ut spretis temporalibus et contemptis minis judicum nobiscum ascendatis ad cor altum, et exaltabitur Deus, qui dissipat consilia principum et cogitaciones reprobat populorum: pro firmo scientes quod obedientes graciose videbimus et contumaces pro qualitate inobediencie puniemus.

[*The Pope's letter to the Archbishop of Canterbury concerning the crimes imputed to Bishop Walter de Langeton. He is to be summoned to Rome. See "Chronicon de Lanercost", ed. Jos. Stevenson, p. 200.*]

Bonifacius etc. venerabili fratri archiepiscopo Cantuarie, salutem et apostolicam benedictionem. Grave nimis et molestum non inmerito gerimus quam plurimum votis nostris, cum ecclesiarum prelati, qui ex debito pastoralis officii laudabilium actionum exemplum tenentur ceteris exhibere, per abruta viciorum incedere ausu dampnabili presumentes, nephandis actibus relaxatis habenis, ea committere non verentur per que divina majestas offenditur, fame derogatur, ipsorum saluti detrahitur, mentesque fidelium gravi scandalo perturbantur. Quamobrem dignis motibus

pregravamur et notabilibus studiis excitamur quod ad corrigendos seu puniendos, prout jus exigit, prelatorum ipsorum excessus hujusmodi provisionis accelerate remedium adhibeamus. Sane clamore valido, nostris jam pluries auribus inculcato, referente didicimus quod Walterus de Langeton, Conventrensis et Lichfeldensis episcopus, pastoralis honestatis oblitus, salutis proprie immemor, fame prodigus, et tanquam sui persecutor honoris, tam scelesta, tam facinorosa nephandaque opera perpetrare non metuit, committere non desistit, quod illa, ne horroris tedium audientibus parerent vel abhominacionis fastidium generarent, nec exprimenda nunc vidimus litteris neque verborum oraculis referenda. Cum itaque nolumus, sicuti nec debemus, talia que Deum offendunt et homines scandalizant, conniventibus oculis, si veritatis foveantur auxilio, preterire, quin pocius ad debitam punicionem eorum, ne ulterius tractu temporis invalescant, studio solerti procedere, prout de jure viderimus, intendamus, fraternitati tue per apostolica scripta in virtute obediencie districte duximus injungendum quatinus, sublato more dispendio, memoratum episcopum per te seu per alium seu per alios ex parte vestra sub pena privacionis pontificalis officii, quam ipso facto eum incurrere volumus si super hoc inobediens fuerit, peremptorie citare procures ut infra trimestris temporis spacium, a die citacionis hujusmodi numerandum, personaliter compareat coram nobis super premissis omnibus et eorum singulis ac aliis, si que proponi vel obici contigerit contra eum, nostris et apostolice sedis beneplacitis et preceptis humiliter et efficaciter pariturus. Diem vero citacionis et formam et quicquid in hac parte feceris, nobis per tuas litteras, harum seriem continentes, plene et fideliter studeas intimare.[1] Data Laterani, viij idus Februarii pontificatus nostri anno septimo.

[Fo. 31b.]

[*Writ "ad quod damnum" touching the conveyance of land in Newton Reigny to the Bishop of Carlisle and his successors.*]

TERRÆ THOMÆ DE CAPELLA.[2]

E. etc. vicecomiti Cumberlandie, salutem. Precipimus tibi quod per sacramentum proborum et legalium hominum de comitatu tuo, per quos rei veritas melius sciri poterit, diligenter inquiras si sit ad dampnum vel prejudicium nostrum aut aliorum si concedimus Thome de Capella, vicario ecclesie de Kirkebystephan, quod ipse unum mesuagium et quadraginta acras terre cum perti-

[1] MS. "adimplere". [2] In a modern hand.

nenciis in Neuton Reyner dare possit et assignare venerabili in Christo patri Johanni episcopo Karlioli, habenda et tenenda sibi et successoribus suis episcopis ejusdem loci imperpetuum, necne; et si sit ad dampnum vel prejudicium nostrum aut aliorum, tunc ad quod dampnum et quod prejudicium nostrum et ad quod dampnum et quod prejudicium aliorum et quorum et qualiter et quomodo, et de quo vel de quibus predicta mesuagium et terra teneantur et per quod servicium, et quantum valeant per annum in omnibus exitibus; et si terre ille et tenementa sibi remanencia sufficiant ad consuetudines et servicia, tam de predictis mesuagio et terra, sic datis, quam retentis, debita facienda, et ad omnia alia onera sustinenda que sustinuit et sustinere consuevit, ut in sectis, visibus franci plegii, auxiliis, vigiliis, finibus, redemcionibus, amerciamentis, contribucionibus, et aliis quibuscumque oneribus emergentibus: et quod in assisis, juratis, et aliis recognicionibus quibuscumque poni possit, prout ante donacionem et assignacionem predictas fieri consuevit, ita quod patria per donacionem et assignacionem predictas in ipsius Thome defectum magis solito non oneretur seu gravetur. Et inquisicionem inde, distincte et aperte factam, nobis sub sigillo tuo et sigillis eorum, per quos facta fuerit, sine dilacione mittas et hoc breve. Teste me ipso apud Westmonasterium, xx die Octobris anno regni nostri tricesimo.

[*The Bishop confers the Archdeaconry of Carlisle on Peter de Insula, reserving to himself all judicial authority.*]

J. miseracione divina Karliolensis etc. dilecto in Christo filio magistro P. de Insula, juris canonici professori, salutem, graciam, et benedictionem. Tue note probitatis ac conversacionis honeste merita, quibus te novimus insigniri, nos excitant et inducunt ut personam tuam majori gracia et favore specialius prosequamur. Attendentes siquidem te velle, juxta datam a Deo tibi scienciam, populum tibi commissum regere diligencius et curare, archidiaconatum ecclesie nostre Karlioli, vacantem et ad nostram collacionem spectantem, cum omnibus suis pertinenciis et juribus consuetis, tibi conferimus intuitu caritatis teque in archidiaconum ejusdem ecclesie nostre auctoritate pontificali preficimus per presentes, proviso quod ad ea que indaginem judicialem exigunt et requirunt, contra consuetudinem jurisdictionis archidiaconalis in civitate et diocesi nostra Karlioli per xxx annos et amplius observatam, manus per te vel per alium sub debito obediencie aliqualiter non extendas, presertim cum de constitucione ecclesie nostre predicte primarie

cogniciones omnium et singulorum civitatis et diocesis Karlioli ad nos et officiales nostros pertineant ab antiquo et debeant pertinere. Data apud Burgum sub Mora, anno etc. CCC° secundo et pontificatus nostri undecimo.

[*Letters of commendation to the same.*]

COLLACIO ARCHIDIACONATUS KARLIOLI.—J. miseracione divina etc. dilecto in Christo filio magistro Petro de Insula, juris canonici professori, salutem, graciam et benedictionem. Tue note probitatis merita, quibus te novimus insigniri, nos excitant et inducunt ut personam tuam majori gracia et favore speciali prosequamur. Eapropter, dilecte fili, archidiaconatum ecclesie nostre Karlioli, vacantem et ad nostram collacionem spectantem, tibi auctoritate pontificali ex certis causis et legitimis (quatenus jura permittunt) specialiter commendamus ipsiusque commendam cum suis pertinenciis et juribus consuetis juxta juris exigenciam duracionis committimus per presentes. Data apud Overton juxta Eboracum, xvij kalendas Decembris anno pontificatus nostri undecimo.

[*Letters of induction (by proxy) directed to the Prior of Carlisle.*]

INDUCTIO EJUSDEM.—J. miseracione etc. dilecto in Christo filio domino Adam, priori ecclesie nostre cathedralis Karlioli, salutem, graciam et benedictionem. Quia archidiaconatum nostrum Karlioli, vacantem et ad nostram collacionem spectantem, magistro P. de Insula, juris canonici professori, contulimus intuitu caritatis, vobis mandamus quatinus magistrum Alanum de Cocum, ipsius magistri P. procuratorem, in ecclesia nostra cathedrali predicta nomine procuratoris (more solito) installetis et installatum, prout convenit, defendatis. Data apud Burgum sub Mora, xj kalendas Decembris anno pontificatus nostri undecimo.

[GREYSTOKE R.—*Institution of Richard de Morpath, on the presentation of John de Graystok.*]

Johannes miseracione etc. dilecto in Christo filio magistro Ricardo de Morpath, diacono, salutem, graciam et benedictionem. Tue probitatis merita attendentes, quibus conicimus te velle supra gregem tibi commissum cum summa diligencia vigilare, ad ecclesiam de Graystok, nostre diocesis, ad quam per dominum Johannem de Graystok, verum patronum ejusdem, nobis presentatus existis, te admittimus teque rectorem instituimus canonice in eadem: salvis in omnibus episcopalibus consuetudinibus et nostre Karliolensis

ecclesie dignitate. In cujus rei testimonium sigillum nostrum presentibus est appensum. Data apud Barton, vij idus Decembris anno Domini M° CCC° secundo et pontificatus nostri undecimo.

[*Bond of 20 marks from Henry, vicar of Orton, to the Bishop: to be forfeited in case of incontinence on his part.*]

Universis pateat per presentes quod cum ego Henricus, perpetuus vicarius ecclesie de Overton, Karliolensis diocesis, super incontinencia coram venerabili patre domino J., Dei gracia Karliolensi episcopo, fueram multipliciter diffamatus ac etiam super hoc coram eo judicialiter evocatus ad hujusmodi sinistram suspicionem tollendam in futurum, obligo me ex nunc et omnia bona mea teneri prefato domino meo episcopo in xx marcis sterlingorum, solvendis eidem infra mensem a tempore quo fuero requisitus, si a data presencium super incontinencia cum aliqua muliere diffamatus fuero legitime et convictus. Ad quam solucionem in forma predicta fideliter faciendam obligo me et omnia bona mea cohercioni et districtioni dicti domini episcopi, seu officialis sui, qui pro tempore fuerit. In cujus rei testimonium sigillum meum presentibus est appensum. Scripta Karlioli, iiij kalendas Februarii anno Domini M° CCC° secundo.

[*A similar bond of 10 marks from John, rector of Great Orton.*]

XIII Kalendas Maii anno etc. CCC^mo^ tercio fecit dominus Johannes, rector ecclesie de Orreton, consimilem litteram de decem marcis, solvendis etc., si de cetero convictus fuerit etc.: que remanet in archivo domini.

[Fo. 32a.]

[*Account of expenses incurred by the Bishop, as keeper of Carlisle Castle, till Michaelmas, 1300. See Raine's "Letters and Papers", p. 154; and cf. Stevenson's "Documents relating to Scotland", ii, p. 424, and Bain's "Cal. Doc. Scotland", ii, 1179.*]

IN ROTULO XXX° REGIS E. IN CUMBRIA.

Johannes Karliolensis episcopus debet lv li. ijs. xjd. de firma castri et dominicorum regis Karlioli, sicut continetur in rotulo xxvj. Et CC xx li. xjs. viijd. de anno preterito. Summa, CC lxxv li. xiiijs. vijd.

Johannes Karliolensis episcopus debet CC lxxv li. xiiijs. vijd. de arreragiis firme castri et dominicorum regis Karlioli, sicut continetur in rotulo principali. In thesauro nihil.

Et in meremio ad domos ultra portam dicti castri et domos bracine empto eisdem domibus reparandis, emendandis et cooperiendis, cum clavis emptis anno xxvj°, x li. xiiijs. ob.: per breve regis et visum et testimonium Henrici Furbur de Karliolo et Hugonis Flemyng. Et in meremio empto ad bretachias circa idem castrum de novo faciendas, cum stipendiis carpentariorum, cariagio ejusdem, et clavis emptis anno eodem, Cvs.: per idem breve, et visum et testimonium eorundem Henrici et Hugonis. Et in meremio empto ad tres pontes ejusdem castri de novo faciendos, cum cariagio ejusdem, et stipendiis carpentariorum anno eodem, lxxvs. viijd.: per idem breve, et visum et testimonium eorundem Henrici et Hugonis. Et in fenestris vitreis emptis pro camera regis, cum capella et fenestra ejusdem, emendandis anno eodem, xxs. iiijd.: per idem breve, et visum et testimonium eorundem Henrici et Hugonis. Et in magna aula et magna camera, garderoba ejusdem, magna coquina et parva coquina per loca reparandis et cooperiendis, magno stabulo, torallis, et grangiis per loca cooperiendis et emendandis, anno eodem, xijs. ijd.: per idem breve. Et in muris lapideis circa portas reparandis et fossatis infra castrum et extra mundandis, xviijs.: per idem breve. Et in vadiis xiiij balistariorum peditum existencium in municionem et defensionem ejusdem castri contra excercitum Scotorum, obsidencium castrum predictum et civitatem Karlioli, videlicet a die Sancti Martini anno xxv finiente et incipiente xxvj°, usque viij diem Decembris proximo sequentis, utroque die computato, per xxviij dies, cuilibet per diem iiijd., vj li. xs. viijd.: per idem breve et preceptum Walteri de Langeton, thesaurarii regis, ex parte regis. Et in vadiis iiij^{xx}xv hominum peditum existencium in eodem castro racione predicta per idem tempus, quolibet percipiente per diem ijd., xxij li. iijs. iiijd.: per idem breve. Et in vadiis x balistariorum commorancium in eodem castro pro excercitu Scotorum, a die Sancte Margarete usque in crastinum Sancti Petri ad vincula, anno xxvj per xiiij dies, utroque die computato, cuilibet per diem iiijd., xlvjs. viijd.: per idem breve. Et in vadiis xxx hominum peditum existencium in eodem castro racione predicta per idem tempus, cuilibet per diem ijd., lxxs.: per idem breve. Et in viij balistis ad pedes et duabus ad turnum, emptis eodem anno et missis ad castrum de Loghmaban, et liberatis Roberto de Felton, constabulario ejusdem castri de Loghmaban, xxvjs.: per idem breve et preceptum predicti Walteri de Langeton, thesaurarii, ex parte regis. Et in vj mille quarellis faciendis eodem anno et liberatis eidem Roberto de Felton pro eodem castro de Lohgemaban,

vij li. xs.: per idem breve et preceptum ejusdem thesaurarii ex parte regis. Et in parvo ingenio regis in eodem castro elevando et reparando, anno xxviij, xviijs. jd.: per idem breve. Et in cordis et corio emptis pro springallis[1] regis ibidem et funda magni ingenii, anno xxvj, vij, vjd.: per idem breve. Et in vadiis xj obsidum de Galwydia commorancium in eodem castro, qui missi fuerunt ibidem per dilectum regi Johannem de Warennia, comitem Surrie, tenentem locum regis in regno Scocie, a xxiij die Octobris anno xxv usque festum Sancti Michaelis anno xxviij, per M[l] lxx dies, utroque die computato, cuilibet per diem ijd., iiij^{xx}xviij li. xxd.: per breve regis. Et in vadiis unius Lauglani filii Lauglani de Carsan, obsidis de Galwidia, missi ad idem castrum per eundem comitem, commorantis ibidem a predicto xxiij die Octobris anno xxv usque xviij diem Augusti anno xxvj, per CCC dies, utroque die computato, quo die idem Lauglanus obiit, capiendo per diem ijd., ls.: per idem breve. Et in vadiis Dovenardi filii Thome de Carsan, obsidis de Galwydia, existentis simili modo in eodem castro a predicto xxiij die Octobris anno xxv usque primum diem Septembris anno xxvj, per CCC xiiij dies, utroque die computato, quo die idem Dovenaldus obiit, capiendo per diem ijd., lijs. iiijd.: per idem breve. Et in vadiis Martini filii Yvonis de Slotham, obsidis, existentis ibidem racione predicta a predicto xxiij die Octobris anno xxv usque decimum diem Septembris anno xxvj, per CCC xxiiij dies, utroque die computato, quo die idem Martinus obiit, capiendo per diem ijd., liiijs.: per idem breve. Et in vadiis Johannis filii Willelmi Brounberd, obsidis, commorantis ibidem racione predicta a predicto xxiij die Octobris anno xxv usque ij diem Octobris anno xxvj, per CCC xlvj dies, utroque die computato, quo die idem Johannes obiit, capiendo per diem ijd., lvijs. viijd.: per idem breve. Et in vadiis Gillopatricii, filii Bricii filii Mak Rori, obsidis, commorantis ibidem a xxiij die Octobris anno xxv usque xij diem Octobris anno xxvj, per CCC lv dies, utroque die computato, quo die idem Gillopatricius obiit, capiendo per diem ijd., lixs. ijd.: per idem breve. Et in vadiis Nenini filii Thome Mak Rori, obsidis, commorantis ibidem a predicto xxiij die Octobris anno xxv usque xxvj diem Octobris anno xxvj, per CCC lxxiiij dies, utroque die computato, quo die idem Nenynus obiit, capiendo per diem ijd., lxijs. iiijd.: per idem breve. Et in vadiis Andree filii Johannis Mak Gille Reue, obsidis, commorantis ibidem a predicto xxiij die Octobris anno xxv usque viij diem Novembris anno xxvj, per

[1] MS. "sporngallis".

CCC iiij^{xx}ij dies, quo die idem Andreas obiit, capiendo per diem ijd., lxiijs. viijd.: per idem breve. Et in vadiis Mathei filii Mauricii Mak Salvi, obsidis, commorantis ibidem a predicto xxiij die Octobris anno xxv usque xx diem Marcii anno xxvj, per D xiiij dies, utroque die computato, quo die idem Matheus obiit, capiendo per diem ijd., iiij li. vs. viijd.: per idem breve. Et in vadiis Yvonis filii Schephert de Killeosbern, obsidis, commorantis ibidem a predicto xxiij die Octobris anno xxv usque ix diem Octobris anno xxvij, per D CC xvij dies, utroque die computato, quo die idem Yvo obiit, capiendo per diem ijd., C xixs. vjd.: per idem breve. Et in vadiis Johannis filii Duncani Makhou, obsidis, commorantis ibidem a predicto xxiij die Octobris anno xxv usque x diem Junii anno xxviij, per D CCCC lx dies, utroque die computato, quo die idem Johannes obiit, capiendo per diem ijd., viij li.: per idem breve. Et in vadiis Roberti dicti Maystreson, obsidis, commorantis ibidem a xxviij die Septembris anno xxvj usque viij diem Septem-
[Fo. 32b.] bris anno xxviij, per D CC x dies, utroque die computato, quo die idem Robertus liberatus fuit per preceptum regis, capiendo per diem ijd., C xviijs. iiijd.: per idem breve. Et in vadiis j garcionis, servientis eisdem a predicto xxiij die Octobris usque festum Sancti Michaelis anno xxviij, per M^{l} xxij dies, utroque die computato, capiendo per diem ijd., viij li. xs. viijd.: per idem breve.

[*Letter from the Bishop to the Austin canons of the province of York assembled at Drax, concerning the customs and observances of his cathedral church of Carlisle, which, though they differ in some points from those of other houses of the same order, yet cannot be altered without his authority.*]

Johannes etc. canonicis regularibus ordinis Sancti Augustini provincie Eboracensis apud Draxe prima dominica Quadragesime congregatis, cum Dei et sua benedictione salutem. Ordinancium sive statuencium aliqua de novo auctoritas tali moderamine debet regi ut inter subditos et pares amoris vinculum nutriatur et superioribus, spreta dissensionis materie, fiat debita reverencia pronis affectibus et votivis. Sane vestram discrecionem credimus non latere qualiter ecclesia nostra cathedralis Karlioli per canonicos regulares vestri ordinis regi hactenus consuevit, quorum consuetudines et observancie ab aliis domibus dicti ordinis ex certis causis discrepant in quibusdam, que sine consensu et auctoritate nostra pontificali et nostri prejudicio non poterunt aliqualiter inmutari. Eapropter vestram discrecionem monemus, rogando in Domino, et hortamur quatinus in tractatu vestro nichil prejudiciale nobis

ordinare curetis. Fratrem Willelmum, canonicum ecclesie nostre predicte, latorem presencium, quem prior et capitulum ecclesie nostre Karlioli ad vos mittunt, tam efficaciter et racionabiliter pertractetis ut infra xv dies a data presencium ad nos redeat feliciter expeditus: quod sibi in recessu suo sub debito obediencie firmiter duximus injungendum. Diu et bene valeatis in filio Virginis gloriose. Data Karlioli, nono kalendas Marcii anno Domini M°CCC° secundo.

[*The Bishop's account for storing and provisioning Carlisle Castle, and for the wages of the garrison. See Raine's "Letters and Papers", p. 157.*]

Compotus Johannis Karliolensis episcopi, custodis castri regis Karlioli, de victualibus regis eidem episcopo pro municione castri predicti liberatis a tercio decimo die Octobris anno xxv finiente, quo die rex commisit eidem ad firmam castrum predictum cum pertinenciis, sicut supra continetur, usque xix diem Februarii anno xxix, per breve regis: per quod rex mandat thesaurario et baronibus quod, audito compoto predicti episcopi de tempore quo custodiam castri predicti habuit ex commissione regis, tam de victualibus regis eidem episcopo pro municione castri predicti liberatis quam de vadiis et aliis misis et expensis hominum ad arma, quos idem episcopus fecit pro tuicione dicti castri et parcium adjacencium contra Scotos, inimicos et rebelles regis, eidem episcopo tam in victualibus predictis quam in debitis, in quibus idem episcopus regi tenetur ad scaccarium, tam de debitis suis propriis quam de debitis predecessorum suorum, racionabiles et debitas allocaciones fieri faciant.

Idem reddit compotum de xxiiij li. xijs. receptis de Johanne de Drokenesford, custode garderobe regis, in xxiiij quarteriis avene, precium quarterii iijs. iiijd.; iiij quarteriis brasii frumenti, precium quarterii viijs.; iiij^{xx} xj quarteriis brasei avene, precium quarterii iiijs.; et iiij quarteriis salis, precium quarterii iiijs., super municione ejusdem castri per magistrum Ricardum de Abyndon, receptorem victualium regis apud Karliolum, anno xxvj, sicut recognoscitur. Et de xxxvj li. receptis de eodem Johanne de Drokenesford in lxviij quarteriis frumenti, precium quarterii vjs. viijd.; CC lx quarteriis avene, unde CC xxx quarteriorum precium quarterii ijs. iiijd., et xxx quarteriorum residuorum precium quarterii xxd.; et xx doliorum vini, precium dolii lxjs., de victualibus regis per predictum magistrum Ricardum anno xxvij, ut dicit. Et de iiij^{xx} xv li. xs. receptis de eodem Johanne de Drokenesford in iiij^{xx} xix

quarteriis frumenti, precium quarterii vjs. viijd. ; CCC x quarteriis avene, precium quarterii iijs. ; et vj doliorum vini, precium dolii iiij marc., de victualibus regis per eundem magistrum Ricardum anno xxviij, ut dicit. Et de vj li. xiijs. iiijd. receptis de eodem Johanne de Drokenesford in xx quarteriis frumenti, precium quarterii vjs. viijd., per Jacobum de Dalilegh, receptorem victualium regis ibidem, eodem anno xxviij°. Et de vij li. vjs. viijd. receptis de eodem Johanne de Drokenesford in ij doliis vini, precium dolii lxxiijs. iiijd., per eundem Jacobum anno xxix. Summa tocius recepte, CC lxx li. ijs.

[Fo. 33a.]

Et eidem episcopo pro vadiis quatuor hominum ad arma existencium in dicto castro pro tuicione et defensione ejusdem castri et parcium adjacencium contra Scotos, inimicos et rebelles regis, a predicto xiij die Octobris anno xxv° finiente, incipiente xxvj°, usque diem Sancti Michaelis eodem anno xxvj° finiente, per CCC lij dies, utroque die computato, quolibet percipiente xijd. per diem, lxx li. viijs. ; per predictum breve regis in titulo superius annotatum. Et eidem episcopo pro vadiis vj hominum ad arma, quorum unus miles, commorancium in castro in partibus predictis pro tuicione et defensione predictis usque diem Sancti Martini, videlicet xj diem Novembris, anno xxviij finiente, per D CC lxxij dies, utroque die computato, dicto milite percipiente per diem ijs. et quolibet aliorum quinque percipiente per diem xijd., CC lxx li. iiijs. ; per idem breve. Et eidem episcopo pro vadiis unius janitoris et unius vigilis existencium in castro predicto pro tuicione et defensione predictis a predicto xiij die Octobris, anno xxv° finiente, usque diem Sancti Michaelis, anno xxviij° finiente, per M iiij^{xx} ij dies, utroque die computato, utroque eorum percipiente ijd. per diem, xviij li. viijd. ; per idem breve.

Summa vadiorum predictorum, CCC lviij li. xijs. viijd. Et sic habet de superplusagio iiij^{xx} viij li. xs. viijd.

[*Ordination at Carlisle Cathedral, March 2, 1302-3.*]

CELEBRACIO ORDINUM DOMINI JOHANNIS DEI GRACIA KARLIOLENSIS EPISCOPI IN ECCLESIA CATHEDRALI KARLIOLI DIE SABBATI QUATUOR TEMPORUM MENSE MARCII ANNO DOMINI M° CCC° SECUNDO ET PONTIFICATUS SUI UNDECIMO.

ACOLITI.

Frater Willelmus de Hurthewrth, canonicus Karlioli.

Frater Johannes de Eboraco,
Frater Adam de Wath,
Frater Johannes de Forest,
} monachi de Furnes,
per dimissorias domini Eboracensis.

Frater Johannes de Wygeton, canonicus de Hepp.

Johannes de Fresington, per dimissorias domini Eboracensis.

SUBDIACONI.

Frater Nicholaus de Stanford,
Frater Gilbertus de Denton,
Frater Mauricius de Mann,
Frater Galfridus de Stanford,
Frater Rogerus de Routheclif,
Frater Robertus de Stanford,
Frater Willelmus de Pothou,
Frater Thomas de Hoton,
Frater Johannes de Eboraco,
Frater Adam de Wath,
Frater Johannes de Forest,
} monachi de Furnes,
per dimissorias domini Eboracensis.

Frater Johannes de Karliolo,
Frater Johannes de Wygeton,
} canonici de Hepp.

Frater Thomas Travers, canonicus de Coningesheved, per dimissorias domini Eboracensis.

Frater Nicholaus de Pikering,
Frater Petrus de Ribbeton,
Frater Robertus de Cuniton,
Frater Thomas de Ribbeton,
} monachi de Holm.

Johannes filius Gilberti filii Ricardi de Kirkebythor, ad titulum quinque marcarum, sibi per Johannem Broye de eadem concessarum, et probatum per Ricardum de Langwarby et Thomam de Warthecopp.

Robertus de Campsal, ad presentacionem magistri Roberti de Vann, per titulum vicarie dicti magistri Roberti prebende sue in ecclesia de Wynburn Mynster, et per dimissorias domini Eboracensis.

DYACONI.

Willelmus de Usegat, ad titulum vicarie de Middilton.

Frater Alexander de Kirkeby,
Frater Robertus de Sothewell,
} monachi de Furnes.

PRESBITERI.

Frater Willelmus de Ulveriston, } monachi de Furnes,
Frater Walterus de Elmisley, }
per dimissorias domini Eboracensis.

Frater Walterus de Benigton, monachus de Caldre, per dimissorias domini Eboracensis.

Adam de Melmorby, ad titulum quinque marcarum sibi per cartam Walteri Mumby, patris sui, concessarum, et probatum per dominum Gervasium, rectorem ecclesie de Melmorby, et alios.

Hugo de Artureth, ad titulum sex marcarum per cartam domini Johannis de Wygeton, militis, concessarum.

[*Commission from the Bishop to act for him in a delegation from Rome.*]

J. miseracione divina Karliolensis episcopus, judex unicus inter partes infrascriptas a sede apostolica delegatus, discretis viris domino thesaurario ecclesie cathedralis Lincolnie ac magistro Henrico de Benigwrth, subdecano ejusdem, juris canonici professori, salutem in omnium Salvatore. In causis appellacionum ad sedem apostolicam inter Johannem Play, laicum Eboracensis diocesis, et Susannam de Urenegat, uxorem Johannis Play, laici Eboracensis diocesis, partes appellantes, ex parte una, et Marjoram dictam de Lincolnia, mulierem Lincolniensis diocesis, partem appellatam, ex altera, a domino officiali curie Eboraci (ut dicitur) interjectarum, nobis per dictam sedem commissis, vobis et cuilibet vestrum per se, alterius presencia minime expectata seu absencia aliqualiter exempta, vices nostras cum canonice cohercionis potestate in solidum committimus per presentes. Data apud Rosam, nonis Maii anno Domini M°CCC° tercio.

[Fo. 33b.]

[*Inhibition against the Official of the court of York, pending proceedings.*]

J. miseracione etc. Karliolensis episcopus, judex unicus in causis appellacionum inter Johannem Play, laicum, et Susannam de Urenegat, uxorem Johannis Play, Eboracensis diocesis, partes appellantes, ex parte una, et Marjoram de Lincolnia, mulierem Lincolniensis diocesis, ex altera, a sede apostolica specialiter delegatus, venerande discrecionis viro domino officiali curie Eboraci, salutem in sinceris amplexibus Salvatoris. Auctoritate apostolica qua fungimur in hac parte, quam vobis mittimus inspiciendam nobisque per latorem presencium illico et fideliter remittendam,

vestre reverende discrecioni firmiter inhibemus et per vos quibuscunque commissariis vestris ac omnibus aliis, quibus jus inhiberi exigit et permittit, inhibere volumus et mandamus ne, pendentibus coram nobis seu commissariis nostris hujusmodi appellacionum negociis, quicquam in parcium appellancium prejudicium attemptetis seu attemptent, faciatis seu faciant per alios quomodolibet attemptari, quominus appellaciones suas libere prosequi valeant. De die vero porrectionis presencium vobis facte et quid feceritis seu faciendum duxeritis in premissis, nobis per presentem bajulum rescribatis per litteras vestras patentes harum seriem continentes. Data apud Rosam, iij nonas Maii anno Domini M°CCC° terico.

[*Ordination at Carlisle Cathedral, June 1, 1303.*]

CELEBRACIO ORDINUM DOMINI JOHANNIS DEI GRACIA KARLIOLENSIS EPISCOPI IN ECCLESIA CATHEDRALI KARLIOLI DIE SABBATI QUATUOR TEMPORUM MENSE JUNII ANNO DOMINI M°CCC° TERCIO ET PONTIFICATUS SUI UNDECIMO.

ACOLITI.

Hugo de Rovcestre, per dimissorias procuratoris et administratoris Conventrensis et Lichefeldensis episcopatus per sedem apostolicam deputati.
Willelmus de Docwra, de Wygeton.
Willelmus filius Adam Fullonis, de Penryth.
Thomas filius Willelmi de Penryth.
Nicholaus filius Walteri Pistoris, de Karliolo.
Ricardus filius Hugonis Carpentarii, de Karliolo.
Willelmus filius Roberti de Bustawe.
Frater Robertus de Mulcastre, de ordine Predicatorum.
Johannes filius Hugonis de Kirkebythor.
Johannes de Wedirhal.

SUBDIACONI.

Frater Radulphus de Benington, de ordine Predicatorum.
Robertus de Cringeldik, ad titulum quadraginta solidorum sibi per cartam Johannis de Skelton concessorum: presentis et hoc in judicio concedentis.
Johannes de Neuton, ad titulum xl solidorum sibi per cartam Thome de Hoton concessorum: probatum et testificatum per magistrum Robertum de Blencou et alios.

Nicholaus Orre, de Staneweg, ad titulum xl solidorum sibi per cartam Henrici le Furbur, de Karliolo, concessorum : presentis et judicialiter concedentis.

Johannes filius Ricardi de Appylby, ad presentacionem magistri Johannis de Bowes.

DIACONI.

Frater Johannes de Werdal,
Frater Johannes de Hoton,
Frater Robertus de Corkeby,
Frater Willelmus de Levington,
Frater Stephanus de Grinnisdal,
} monachi de Holm.

Frater Johannes de Seleby, de ordine Predicatorum.

Frater Johannes de Merston,
Frater Thomas de Royston,
Frater Ricardus de Kendal,
} monachi de Caldre,
per dimissorias domini Eboracensis.

Frater Henricus de Hilton, de ordine Carmeli.

Andreas de Wyteby, prebendarius hospitalis Sancti Nicholai extra Karliolum, per dimissorias domini Eboracensis.

Johannes filius Roberti Wyte, de Ascom, ad titulum xl solidorum sibi per cartam Johannis Soreys concessarum : alias testificatum in judicio et probatum.

Gilbertus de Derlington, ad presentacionem magistri Johannis de Bowes, per dimissorias domini Dunelmensis.

PRESBITERI.

Dominus Roaldus, rector ecclesie de Bouneys, Karliolensis diocesis.

Frater Robertus de Segbrok, monachus de Caldre, per dimissorias domini Eboracensis.

Hugo de Hayton, ad titulum v marcarum sibi per cartam Adam de Ulnesby concessarum : presentis et judicialiter concedentis.

Johannes filius Albini de Appylby, ad titulum l solidorum sibi per cartam Alexandri de Berwys concessorum : presentis et judicialiter concedentis.

Ricardus dictus de Bilton, de Cokermou, per dimissorias domini Eboracensis, ad titulum v marcarum de tribus burgagiis in Kirkegat in Cokermou, prout littera dicti domini Eboracensis testatur.

[*Dispensation to the rector of Long Marton.*]

Dispensatum est cum domino J., rectori de Merton, super ordinibus a tempore regiminis sibi commissi per septem annos, dum tamen in studio moram fecerit durante tempore sic indulto et bene interim se habuerit et honeste.

[Fo. 34a.]

[*Award made by the Prior of Carlisle and others between Bishop Walter and the Abbot and Convent of St. Mary's, York, as to the church of Kirkby Stephen, with its chapel of Brough, and the patronage of the churches of Cliburn, Ormside, and Musgrave.*]

Universis Christi fidelibus hoc scriptum visuris vel audituris prior Karlioli et frater Thomas, elemosinarius Beate Marie Eboraci, et magister Symon de Walton et Johannes de Hamerton, salutem in Domino. Noverit universitas vestra quod cum controversia mota esset inter dominum W. episcopum Karliolensem, ex una parte, et abbatem et conventum Sancte Marie Eboraci, ex altera, super ecclesia de Kirkebystephan cum suis pertinenciis, tandem, ut licium contenciones sopiantur et ut parcium laboribus et expensis consulatur, in nos tanquam in pacis provisores et arbitratores sollempniter consenserunt ut super predictis contencionibus per nos perpetua pax ordinetur, conservando jus et possessionem predictorum abbatis et conventus in ecclesia de Kirkebystephan cum suis pertinenciis et ipsius episcopi et successorum suorum et ecclesie Karliolensis indempnitati prospiciendo. Nos igitur, habentes Deum pre oculis, jure et possessione predictorum abbatis et conventus in predicta ecclesia diligenter inspectis, tum super collacionibus et confirmacionibus episcoporum Karliolensium, necnon confirmacionibus Romanorum pontificum, et super possessione predicta inspectis etiam et ponderatis lesionibus ipsius episcopi Karliolensis et successorum suorum, necnon et ipsius ecclesie Karlioli, sic ordinavimus: ut ecclesia de Kirkebystephan cum omnibus pertinenciis et capellis suis (videlicet, cum capella de Burg, cum suis pertinenciis, et aliis si que alie dici debeant capelle), salva vicaria infrascripta et taxata et hac vice pro voluntate ipsius episcopi ad presentacionem dictorum abbatis et conventus conferenda, in usus ipsorum abbatis et conventus cedat in perpetuum. Ordinavimus etiam super dicta vicaria, que a predecessore ipsius episcopi ad centum solidos fuit taxata, ut totum altelagium cum omnibus proventibus ipsius ecclesie et suarum capellarum, preter decimas garbarum, bladi et leguminis extra toftos et ortos, penes vicarium remaneat. Insuper idem vicarius habebit octo bovatas terre de

dominico ipsius ecclesie et unum mansum competentem, et solvet annuatim dictis abbati et conventui nomine vicarie dimidiam marcam argenti in festo Sancti Martini. Verum, cedente vel decedente magistro J. de Ferentino, qui medietatem altelagii in presenti habet, ipsa medietas ipso jure dicto vicario accrescet sine impedimento aliquo ipsius abbatis et conventus ; et ex tunc idem vicarius et successores sui predictis abbati et conventui viginti solidos argenti annuatim persolvent in festo Sancti Martini. Et idem vicarius et successores sui sustinebunt omnia onera et archidiaconalia. Preterea, cedente vel decedente eodem magistro Johanne, ipsa medietas, quam idem Johannes in presenti habet, excepta vicaria, sine impedimento episcopi Karliolensis dictis abbati et conventui ipso jure accrescet. Similiter, cedente vel decedente Th. Boet, capella de Burg sue matrici ecclesie de Kirkebystephan accrescet sine aliquo impedimento episcopi Karliolensis. Insuper ordinavimus ut idem abbas et conventus in recompensacionem lesionis ipsius ecclesie Karlioli, ipsi episcopo Karliolensi et successoribus suis jus patronatus ecclesie de Cliburn, ecclesie de Ormesheved et ecclesie de Musegrave cum debita securitate conferent, salvis debitis et consuetis pensionibus de predictis ecclesiis prioratui de Wederhal assignatis. Dictus vero episcopus et capitulum Karliolense, prout a nobis ordinatum est, confirmabunt. Et ut hec nostra ordinacio perpetue firmitatis robur optineat, eam sigillorum nostrorum munimine roboravimus.

[Long Marton R.—*Institution of John de Medburn, who had already been admitted. A pension is reserved for the previous rector.*]

J. etc. dilecto in Christo filio Johanni de Medburn, subdiacono, rectori ecclesie de Merton, nostre diocesis, salutem, graciam et benedictionem. Dudum te in minoribus constitutum ad ecclesiam predictam per nobilem mulierem dominam Ydoneam de Leyburn, veram patronam ejusdem, in sua viduitare, nobis caritatis intuitu presentatum legitime admittentes, die Sabbati quatuor temporum mense Septembris anno Domini M°CCC° tercio te ad titulum ipsius ecclesie rite a nobis in subdiaconum ordinatum, rectorem canonice instituimus in eadem ; salva domino Willelmo de Coumb, quondam rectori ejusdem, quoad vixerit, porcione, sibi auctoritate nostra ordinaria de consensu expresso dicte patrone et tuo ex certis causis et legitimis assignata, ac etiam salva ecclesie nostre Karliolensis et nostra in omnibus dignitate. Data Karlioli, ix kalendas Octobris anno etc. M°CCC° tercio.

[*Bond for the payment of 40s. to the Bishop by William de Insula, vicar of Crosby, for a certain favour done to him.*]

Universis pateat per presentes quod ego W. dictus de Insula, perpetuus vicarius de Crosseby, Karliolensis diocesis, teneor et fateor me teneri reverendo in Christo patri domino J. Dei gracia Karliolensi episcopo in quadraginta solidis sterlingorum pro quadam gracia mihi facta, solvendis eidem infra tres annos a data presencium proximo futuros: videlicet, in festo Pasche anno Domini M°CCC° quinto j marcam, et in festo Pasche anno Domini M°CCC° sexto j marcam, et in festo Pasche anno Domini M°CCC° septimo j marcam. Ad quam solucionem in forma predicta fideliter faciendam obligo me et omnia bona mea specialiter in hiis scriptis. In cujus rei testimonium sigillum meum apposui huic scripto. Data apud Linstok, kalendis Maii anno Domini M°CCC° quarto.

[*He binds himself to pay 10l. to the Bishop if ever again he shall be convicted of incontinence.*]

Universis pateat per presentes quod cum ego W. dictus de Insula, perpetuus vicarius de Crosseby, Karliolensis diocesis, super incontinencia [commissa] cum Matilda dicta Culli, parochiana mea, coram officiali venerabilis patris domini J. Dei gracia Karliolensis episcopi fueram multipliciter [diffamatus et] pluries judicialiterque convictus, ut timore pene pecuniarie vivam de cetero continenter obligo me ex nunc sponte teneri dicto domino meo episcopo in decem libris sterlingorum, solvendis eidem infra annum a tempore quo super incontinencia cum dicta Matilda, vel quacunque alia muliere a data hujus littere, coram dicto domino episcopo seu ipsius officiali convictus fuero [quavis] via juris. Ad quam solucionem in forma predicta fideliter faciendam obligo me et omnia bona mea specialiter in hiis scriptis. Data apud Linstok, anno Domini M°CCC° quarto.

[Fo. 34b.]

[*Plea against the Bishop for taking toll at his market of Horncastle from citizens of Lincoln, who claim by charter to be toll-free throughout England.*]

Johannes, episcopus Karliolensis, Thomas le Norice sone, Adam Attebowes, Henricus Ode et Thomas le Serjant, ballivi ejusdem episcopi, de Horncastro, atachiati fuerunt ad respondendum tam regi quam Simoni de Edelington, civi de Lincolnia, de placito quare cum rex cartas quorumdam progenitorum suorum, regum Anglie, per quas concessum est civibus regis Lincolnie, inter alias libertates in cartis illis contentas, quod iidem cives quieti sint a prestacione theolonii, stallagii et terragii per totum regnum regis,

jam de novo confirmaverit per cartam suam concesseritque pro se et heredibus suis per eandem cartam suam eisdem civibus quod, licet ipsi aliqua vel aliquibus libertatum in dictis cartis contentarum et expressarum hactenus plene usi non fuerint, ipsi tamen et successores sui, cives ejusdem civitatis, libertate vel libertatibus illis de cetero gaudeant et utantur, et rex tam eidem episcopo quam prefatis ballivis per diversa brevia regia mandaverit quod predictos cives, cum bonis et rebus suis ad dictam villam de Horncastro venientes, a prestacione theolonii, stallagii et terragii in villa predicta quietos esse permitterent, juxta tenorem cartarum confirmacionis et concessionis regum predictarum, et districtionem, si quam eis ea occasione fecissent, sine dilacione relaxarent eisdem: prefati episcopus et ballivi, mandata regis predicta parvipendentes, predictum Simonem ad theolonium, stallagium et terragium in villa predicta prestanda eo gravius distrixerunt et ipsum ea occasione multipliciter inquietarunt, in regis ac mandatorum suorum predictorum contemptum manifestum et grave dampnum ipsius civium et contra tenorem cartarum confirmacionis et concessionis regum predictarum, etc. Et unde idem Simon per atornatum suum queritur quod cum dominus rex nunc cartas quorumdam progenitorum suorum, regum Anglie, per quas concessum est predictis civibus quod quieti sint a prestacione theolonii, stallagii et terragii per totum regnum suum, jam de novo confirmaverit per cartam suam concesseritque pro se et heredibus suis etc. quod, licet ipsi aliqua vel aliquibus libertatum in predictis cartis contentarum hactenus plene usi non fuerint, ipsi tamen et successores sui, cives etc., libertate et libertatibus illis de cetero gaudeant et utantur, etc.; ac idem Symon die Mercurii proxima ante festum Natalis Domini anno regni regis nunc xxx°, apud Brelliford, in presencia Rogeri de London, Elye de Cue de Notingham et Raet Russel liberasset predicto episcopo breve domini regis, et similiter die Sabbati proxima ante festum Sancte Lucie virginis anno supradicto, apud Horncastrum, in presencia Roberti Wylepot, Willelmi de Edelington et Rogeri Cupper liberasset predictis ballivis breve domini regis quod predictos cives quietos esse permitterent juxta tenorem cartarum etc., sicut predictum est, prefati episcopus et ballivi etc., mandata regis predicta contempnentes, etc., die Sabbati proxima post festum Annunciacionis Beate Marie proximo preteritum, apud Horncastrum, ipsum Symonem distrixerunt capiendo ab ipso viginti et quatuor pelles lanutas preter cujuslibet decem denarios nomine theolonii etc., contra libertatem suam predictam et tenorem cartarum confirmacionis et concessionis regum predictarum, etc., in

contemptum domini regis centum librarum. Et unde idem Symon dicit quod deterioratus est et dampnum habet ad valenciam decem librarum. Et inde producit sectam etc.

Et predictus episcopus (et alii) per atornatum suum venit et defendit vim et injuriam, quando etc. Et idem episcopus bene cognoscit quod ipse per predictos ballivos suos cepit predictas pelles a predicto Symone nomine districtionis, etc. Dicit enim quod ipse est dominus manerii predicte ville de Horncastro ; et dicit quod habet in eadem villa feriam bis per annum, scilicet singulis annis die Sancti Barnabe apostoli et die Sancti Laurencii, etc., et mercatum singulis diebus Sabbati per annum ; et dicit quod racione predictorum ferie et mercati percipere clamat de theolonio, etc., de singulis venientibus ad predictam feriam seu mercatum ad aliquas res seu mercimonia vendicioni exposita seu empta, etc., de qua libertate dictus episcopus invenit ecclesiam suam seisitam, etc. Et etiam ipse et omnes predecessores sui et alii tenentes idem manerium fuerunt seisiti racione predictorum ferie et mercati a tempore cujus non extat memoria, tam de hominibus de predicta villa Lincolnie quam aliis ad predicta mercatum et feriam accedentibus, de singulis mercimoniis ibidem emptis seu venditis, etc. Et dicit quia predictus Symon predicto die Sabbati in predicto mercato emerat predictas viginti et quatuor pelles, etc., et predicti ballivi ab eodem Symone theolonium inde exigebant secundum porcionem illius mercimonii, etc., scilicet tres obolos, qui quidem Symon theolonium illud (prout moris est) reddere noluit, et ea racione iidem ballivi nomine ipsius episcopi ceperunt predictas pelles nomine districtionis quousque idem Symon persolvisset theolonium predictum, sicut eis bene licuit, etc.

Et predictus Symon dicit quod dominus rex Ricardus, consanguineus domini regis nunc, concessit per cartam suam predictis civibus Lincolnie libertatem predictam quod sint quieti a prestacione theolonii, etc., per totum regnum, etc., in forma predicta, etc. ; quo quidem tempore nullus predecessorum predicti episcopi aliquid habuit in predicto manerio de Horncastro, eo quod quidam Walterus, quondam episcopus etc., predecessor predicti episcopi, manerium illud perquisivit tempore domini regis H., patris domini regis nunc ; et ex quo predictus episcopus clamat habere predictam feriam et mercatum, etc., et percipere predictum theolonium de predictis civibus etc. racione perquisiti de predicto manerio—quod quidem manerium predictus predecessor predicti episcopi perquisivit post cartam et concessionem eisdem civibus per predictum regem Ricardum factam de libertate sua predicta—ad [infringen-

dam] et infirmandam cartam et concessionem predictas, que sunt de tempore antiquiori quam perquisitum predictum [manerii predicti], racione cujus manerii predictus episcopus clamat predictam libertatem ferie et mercati, etc., petit judicium si predictus episcopus predictam districtionem justam advocare possit in hac parte, etc.

Et episcopus dicit quod revera predictum manerium de Horncastro fuit aliquo tempore cujusdam Radulphi de Rodes, qui quidem Radulphus fuit seisitus in predictis feria et mercato in eodem manerio cum hiis que ad feriam et mercatum spectant, etc. Et similiter omnes antecessores ejusdem Radulphi tenentes idem manerium fuerunt seisiti de predictis feria et mercato, etc.; qui quidem Radulphus de Rodes de manerio predicto cum pertinenciis feoffavit eundem Walterum, quondam episcopum etc., predecessorem ipsius episcopi, tempore predicti regis H., patris regis nunc. Qui quidem Walterus, episcopus etc., et omnes successores sui et similiter idem episcopus seisiti fuerunt de predictis mercato et feria in eodem manerio et theolonio etc. [percipiendis] etc., tam de hominibus villate de Lincolnia quam aliis etc. Et quod predictus Radulphus et omnes antecessores sui tenentes predictum manerium, et similiter predictus Walterus, predecessores et omnes successores sui, et etiam idem episcopus fuerunt seisiti de predictis feria et mercato in manerio predicto et predicto theolonio etc. percipiendis racione predictorum ferie et mercati, tam de hominibus villate de Lincolnia quam de aliis ementibus et vendentibus etc. in eisdem feria et mercato a tempore cujus non extat memoria, etc., paratus est verificare etc. Unde petit judicium etc.

[Fo. 35a.]

Et Symon dicit quod cum predictus episcopus clamat predicta feriam et mercatum racione predicti manerii—quod quidem manerium idem episcopus cognoscit predictum Walterum, predecessorem etc., perquisivisse tempore predicti domini regis H., ut predictum est,—racione cujus perquisiti predicto Waltero, predecessoribus etc. et successoribus suis, nichil accrescere potuit in hujusmodi libertate regia etc., et maxime cum hujusmodi libertas regia per alienacionem factam de predicto manerio, tanquam de pertinenciis ejusdem manerii, transire non potuit, etc. Nec etiam predecessor ipsius episcopi seu idem episcopus, ecclesiastica persona, aliquam ecclesiasticam jurisdictionem clamare potest in hujusmodi libertate regia sine facto speciali progenitorum domini regis, de quo nichil ostendit. Petit judicium etc.

Dies datus est eis de audiendo judicio suo hic a die Pasche in tres septimanas, salvis racionibus hinc inde dicendis, etc.

R°. CC lxxvj.

[*Writ "alias" against Walter de Doncastre, vicar of St. Lawrence's, Appleby, for a debt and damages.*]

E. Dei gracia etc. venerabili in Christo patri J. eadem gracia episcopo Karlioli, salutem. Mandamus vobis, sicut alias vobis mandavimus, quod de bonis ecclesiasticis Walteri de Doncastre, vicarii ecclesie Sancti Laurencii de Appilby, clerici vestri, in diocesi vestra fieri faciatis decem et septem marcas, ij solidos et ij denarios: et illos habeatis coram justiciariis nostris apud Eboracum, a die Sancti Hillarii in xv dies, ad reddendum Willelmo de Grimesby, quos idem W. in curia nostra coram justiciariis nostris apud Eboracum recuperavit versus eum per quamdam juratam ibi inde inter eos captam. Mandamus etiam vobis, sicut alias mandavimus, quod de bonis ecclesiasticis predicti Walteri, clerici vestri, in diocesi vestra fieri faciatis iiij libras: et illas habeatis coram justiciariis nostris apud Eboracum, ad prefatum terminum, ad reddendum predicto Willelmo de centum solidis, qui eidem Willelmo in curia nostra coram justiciariis nostris apud Eboracum adjudicati fuerunt pro dampnis suis que habuit occasione detencionis debiti predicti, prout per predictam juratam convictum fuit. Et sciatis quod, nisi hoc mandatum nostrum plenius exequamini, graviter ad vos capiemus. Et habeatis ibi hoc breve. Teste R. de Hengham apud Eboracum, xxvij die Novembris anno regni nostri xxxj°.

Ro. CCC.

[*Writ against Nicholas de Cleburn, clerk, to answer Robert de Louther for taking and imprisoning him by force of arms at Morland.*]

E. Dei gracia etc. venerabili in Christo patri J. eadem gracia episcopo Karlioli, salutem. Mandamus vobis quod venire faciatis coram justiciariis nostris apud Eboracum a die Sancti Hillarii in xv dies Nicholaum de Cleburn, clericum vestrum, ad respondendum Roberto de Louther de placito quare ipse, simul cum Roberto de Grendon et Gilberto de Hellebeck, vi et armis ipsum Robertum de Louther apud Morlond cepit et imprisonavit et male tractavit et alia enormia ei tulit ad dampnum ipsius Roberti de Louther centum librarum et contra pacem nostram, ut dicit. Et unde vicecomes noster Westmerlandie mandavit justiciariis nostris apud Eboracum, a die Sancti Michaelis in xv dies, quod predictus Nicholaus clericus

est et non habet laicum feodum in balliva sua per quod potest attachiari. Et habeatis ibi hoc breve. Teste R. de Hengham apud Eboracum, xxviij die Novembris anno regni nostri xxxj°.

Ro. CCC xxxiiij.

[*Writ against the forementioned Walter de Doncastre for a deceit of court.*]

E. etc. venerabili in Christo patri J. eadem gracia episcopo Karlioli, salutem. Mandamus vobis quod venire faciatis coram justiciariis nostris apud Eboracum a die Sancti Hillarii in xv dies Walterum de Doncastre, vicarium ecclesie Sancti Laurencii de Appelby, clericum vestrum, ad satisfaciendum nobis de eo quare idem Walterus in curia nostra coram justiciariis nostris apud Eboracum dedixit quoddam scriptum de debito decem et septem marcarum, ij solidorum et ij denariorum esse factum suum fidum et in decepcionem ejusdem curie nostre, prout per quamdam juratam ibi inde inter ipsum Walterum et Willelmum de Grimesby de Eboraco captam convictum fuit. Et unde vicecomes noster Westmerlandie mandavit justiciariis nostris apud Eboracum in octabis Sancti Martini quod idem Walterus clericus est et manet infra feodum ecclesiasticum ita quod eum capere non potest, prout ei precepimus, ad satisfaciendum nobis in forma predicta. Et habeatis ibi hoc breve. Teste R. de Hengham apud Eboracum, xxviij die Novembris anno regni nostri xxxj°.

[*Letter from Bishop Halton to the Prior and Chapter of Carlisle, sub-collectors of the papal tenth. In consequence of the devastation wrought by the Scots he has obtained the sanction of the principal collectors for the remission, in some cases of a third, in others of the whole, of the taxation levied on the churches of his diocese. See Raine's "Letters and Papers", p. 161.*]

J. miseracione divina Karliolensis episcopus dilectis in Christo filiis domino . . priori ecclesie Karliolensis et ejusdem loci capitulo, subcollectoribus decime papalis in civitate et diocesi nostra Karlioli, imposite per tres annos, per venerabiles viros dominos . . episcopum Londoniarum et Bartholomeum de Ferentino, principales collectores dicte decime, specialiter deputatis, salutem, graciam et benedictionem. Ecce, habito tractatu nuper Londoniis cum prefatis viris domino . . episcopo Londoniarum et magistro Bartholomeo de Ferentino super statu lamentabili ecclesiarum nostre diocesis, per hostiles invasiones Scotorum (proch dolor!) destructarum, ex injuncto dictorum principalium collectorum vobis tenore presencium intimamus quod a rectoribus et vicariis ecclesiarum

infrascriptarum duas partes decime, secundum tenorem mandati dictorum principalium collectorum vobis directi, tantummodo exigatis.

In decanatu Karlioli.—De ecclesia de Walton, de ecclesia de Bampton et vicario ejusdem, de ecclesia de Irthyngton et vicario ejusdem, de ecclesia de Ayketon, de ecclesia de Brampton, de ecclesia de Thoresby, de ecclesia de Bouneys, de ecclesia de Burg et vicario ejusdem, de ecclesia de Beaumont, de ecclesia de Grinisdal, de ecclesia de Cambok, de ecclesia de Scaleby, de ecclesia de Castelkayrok, de ecclesia de Carlaton, et de ecclesia de Wedirhal.

In decanatu Allerdalie.—De ecclesia de Wygeton, de ecclesia de Kirkebrid, de ecclesia de Bromfeld, de ecclesia de Aspatrik, de ecclesia de Bolton, de ecclesia de Ireby, de ecclesia de Ulnedal, de ecclesia de Caldebek, de ecclesia de Torpennou et vicario ejusdem, de ecclesia de Isal et vicario ejusdem, de ecclesia de Plumland, de ecclesia de Bridekyrk et vicario ejusdem, de ecclesia de Bechokirk.[1]

In decanatu Cumbrie.—De ecclesia de Edenhal, de ecclesia de Kirkeland, de ecclesia de Soureby, de ecclesia de Ravenewyk, de ecclesia de Leysingby, de ecclesia de Kirkoswald, de ecclesia de Crogelyn, de ecclesia de Aynstaplith et vicario ejusdem, de ecclesia de Daker et vicario ejusdem, de ecclesia de Greystok, de ecclesia de Hoton, de ecclesia de Adyngham, de ecclesia de Penryth et vicario ejusdem, de ecclesia de Skelton, de ecclesia de Salkild.

In decanatu Westmerie.—De ecclesia de Morlund et vicario ejusdem, de ecclesia de Cliburne, de ecclesia de Hepp, de ecclesia de Bampton, de ecclesia de Askom, de ecclesia de Louther, de ecclesia de Clifton, de ecclesia de Barton.

Verum quia ecclesie parochiales de Artureth, Levyngton, et de Routheclyf, simul cum suis parochiis, parochie etiam Beate Marie et Sancti Cuthberti Karlioli, porcio episcopi in ecclesia de Stanewyges, porcio prioris Karlioli in eadem, et vicaria ejusdem, et parochie de Dalston, Crosseby, Farlham, Hayton, Cumquitington, Cumrew, Seburham, Orreton, Stapilton, Eston, et de Bothe-

[1] Bechokirk is Bassenthwaite church, which is dedicated to St. Bega. In the will, A.D. 1358, of Adam de Bastenthwayt it is twice mentioned, (1) as "ecclesia parochialis Sancte Bege de Bastenthwayt" and (2) as "Beghekirk". See the late Chancellor Ferguson's *Testamenta Karleolensia* (Cumb. and Westm. Ant. and Arch. Society), pp. 22, 23.

castre erant et sunt destructe totaliter et combuste et adhuc per quotidianas et hostiles aggressiones Scotorum multipliciter depredantur, nulla decima, sive modica, exigi poterit ab eisdem.

[Fo. 35b.]

De rebus etiam temporalibus et redditibus spiritualibus annexis infra limites dictarum parochiarum existentibus idem dicimus esse censendum, quod de valore ecclesiarum dictarum superius est expressum ; presertim cum ex destructione et exilitate rerum et reddituum temporalium obvenciones ecclesiastice reddantur tenues et exiles. De quibus omnibus, tam per assercionem religiosorum, rectorum et vicariorum dictarum ecclesiarum, quam per inquisicionem diligentem aliorum fidedignorum, necnon per facti notorietatem facta est nobis legitime plena fides. In quorum testimonium vobis litteras nostras mittimus has patentes. Data Karlioli, x° kalendas Januarii anno Domini M° CCC° secundo.

[*The Bishop certifies that R. de Bradwod, vicar of St. Michael's, Appleby, has excused and purged his non-residence.*]

Universis pateat per presentes quod nos J. miseracione divina Karliolensis episcopus, officium visitacionis in decanatu Westmerie auctoritate ordinaria excercentes, per clamosam insinuacionem quorumdam intelleximus quod dominus R. de Bradwod, perpetuus vicarius ecclesie Sancti Michaelis de Appelby, nostre diocesis, a tempore sue institucionis, saltem per vices, residenciam non fecit (ut decuit) personalem ipsumque super hoc coram nobis fecimus evocari. Idem dominus R. suam non residenciam excusavit judicialiter et purgavit. Et ne id sibi de cetero impingi valeat seu opponi, eidem has litteras nostras patentes fieri fecimus in testimonium premissorum. Data Karlioli, xiij kalendas Februarii.

[*As also Thomas de Capella, vicar of Kirkby Stephen, with a proviso that he keep residence for the future.*]

Universis pateat per presentes quod nos J. miseracione divina Karliolensis episcopus, officium visitacionis nostre in decanatu nostro Westmerie inter festa Sancti Martini et Beati Thome apostoli anno Domini M° CCC° secundo auctoritate ordinaria exercentes, per clamosam insinuacionem quorumdam intelleximus laicorum quod dominus Thomas de Capella, perpetuus vicarius ecclesie de Kirkebystephan, nostre diocesis, ante hec tempora,

saltem per vices, residenciam non fecit (ut decuit) personalem ipsumque super hoc coram nobis fecimus ad judicium evocari. Quo sibi objecto idem vicarius suam non residenciam legitime excusavit, judicialiter et purgavit. Et ne hoc sibi amodo impingi valeat seu opponi aut in scrupulum recidive questionis tractu temporis relabatur, eidem Thome has litteras nostras patentes fieri fecimus in testimonium premissorum : proviso quod de cetero suam residenciam faciat, prout ipsius cura exigit et requirit. Data Karlioli, vij kalendas Februarii anno Domini supradicto.

[CLIFTON R.—*Collation of Peter Tilliof, with the reservation of a pension to Warter Priory.*]

Johannes etc. dilecto in Christo filio magistro Petro Tilliof, salutem, graciam et benedictionem. Ecclesiam parochialem de Clifton, nostre diocesis, vacantem et ad nostram collacionem spectantem, tibi conferimus intuitu caritatis teque rectorem canonice instituimus in eadem : salva priori et conventui de Wartre annua pensione unius marce eisdem debita ab antiquo, et salva ecclesie nostre Karlioli in omnibus dignitate. Data apud Rosam, vj idus Aprilis anno Domini M° CCC° tercio et pontificatus nostri undecimo.

[*Roger de Dernington held of the See of Carlisle a messuage in the suburbs beyond Caldew by the service of guarding prisoners and hanging thieves : which service the Bishop now commutes into a money rent.*]

J. etc. omnibus hoc scriptum visuris vel audituris, salutem in Domino sempiternam. Noverit universitas vestra quod, cum Rogerus de Dernington de nobis tenuit unum mesuagium cum curtilagio in suburbio Karlioli ultra Caldeu, quod jacet inter terram prioris et conventus de Extildisham, ex una parte, et terram Roberti Snok, ex altera, per servicium ix denariorum argenti per annum custodiendi prisones et latrones suspendendi cum acciderit, una cum aliis consimilem tenuram ibidem tenentibus de nobis, nos eidem Rogero de dictis serviciis (scilicet, custodiendi latrones et suspendendi cum acciderit) graciam volentes facere specialem, similiter et comodum ecclesie nostre, ut tenemur, concessimus eidem Rogero pro nobis et succesoribus nostris dictum mesuagium cum curtilagio, habendum et tenendum eidem Rogero et heredibus suis de nobis et successoribus nostris libere et quiete de predictis serviciis (scilicet, custodiendi prisones et suspendendi si acciderit) inperpetuum : reddendo inde annuatim nobis et successoribus

nostris octodecim denarios ad duos terminos anni, scilicet, medietatem in festo Pasche et aliam medietatem in festo Sancti Michaelis et duos denarios pro husgabulo singulis annis in festo Sancti Petri ad vincula, pro firma dictorum mesuagii et curtilagii et serviciis antedictis. In cujus rei testimonium huic presenti scripto sigillum nostrum autenticum fecimus apponi. Hiis testibus, Michaele de Haverington, Johanne de Crofton, Johanne de la Chapele, Petro Wrchepp, Willelmo filio Juliane, Adam de Wedirhal, Johanne de Normat, et aliis. Data apud Rosam, iiij idus Aprilis anno Domini M° CCC° tercio et anno regni regis Edwardi tricesimo secundo.

[*Proxy for the Abbot and Convent of St. Mary's at York to take corporal possession of the church of Bromfield, which had been appropriated to them by Bishop Halton.*]

Universis Christi fidelibus pateat per presentes quod nos . . abbas et conventus monasterii Beate Marie Eboraci dilectos nobis in Christo fratrem Adam de Tweng, nostri monasterii commonachum, et Symonem de Leycestre, clericum, procuratores et attornatos nostros speciales, conjunctim et eorum alterum per se divisim, ita quod non sit melior condicio occupantis, facimus, constituimus et ordinamus ad nancissendum, apprehendendum, recipiendum et retinendum nomine nostro et monasterii nostri corporalem possessionem ecclesie de Brumfeld vacantis, nobis et monasterio nostro in proprios usus concesse per venerabilem in Christo patrem dominum . . episcopum Karlioli, cum omnibus juribus et pertinenciis suis, secundum virtutem, vim et effectum litterarum dicti domini episcopi super appropriacione hujusmodi factarum ; et ad disponendum et ordinandum de fructibus et proventibus ejusdem ecclesie et de aliis rebus ad ipsam qualitercumque spectantibus, prout nostre utilitati eis et eorum alteri magis videbitur expedire ; agendum, defendendum, appellandum, appellaciones prosequendum, quodlibet genus liciti sacramenti in animas nostras prestandum, alium procuratorem loco sui et eorum alteri substituendum, substitutum revocandum, status nostri reformacionem et integram restitucionem, quociens opus fuerit, petendum et omnia alia faciendum sine quibus premissa non poterunt expediri. Cauciones, vero, rem ratam haberi et judicatum solvi pro eisdem procuratoribus nostris et eorum altero, et substitutis ab eisdem et altero ipsorum, promittimus sub rerum nostrarum ypotheca. Hoc omnibus quorum interest tenore presencium significamus. In cujus rei testimonium sigillum capituli nostri ad procuraciones

presentibus duximus apponendum. Datum Eboraci, ij nonas Julii anno Domini M° CCC° tercio.

[Fo. 36a.]

[*Ordination, Dec. 22, 1302.*]

CELEBRACIO ORDINUM EPISCOPI DIE SABBATI QUATUOR TEMPORUM MENSE DECEMBRIS ANNO DOMINI M° CCC° SECUNDO ET PONTIFICATUS SUI XJ°.

ACOLITI.

Johannes dictus Lovel, de Dalston.
Robertus de Carlton.
Johannes de Neuton.
Johannes dictus Legat, de Karliolo.
Symon de Hautewysel.
Johannes de Melemorby.
Willelmus de Waverton.
Willelmus de Redeman.
Willelmus de Wygeton.
Johannes de Estden, per dimissorias domini episcopi Cicestrensis.

SUBDIACONI.

Frater Stephanus de Grinnisdal,
Frater Johannes de Hoton,
Frater Willelmus de Levington,
Frater Robertus de Corkeby,
Frater Johannes de Werdal,
} monachi de Holm.

Andreas de Wyteby, ad titulum unius prebende et duarum marcarum in domo Sancti Nicholai extra Karliolum, per cartam cum sigillo dicte domus signatam et dimissorias domini Eboracensis.

Henricus filius Laurencii Furbur, de Stanewegges, per titulum xl solidorum per cartam Radulphi de Herington, presentis et concedentis.

Johannes de Askom, per titulum xx solidorum per cartam Johannis le Soreys : probatum et testificatum per Thomam de Warthecop, Ricardum de Langwathby, et alios.

Frater Johannes de Merston,
Frater Thomas de Royston,
Frater Ricardus de Kendal,
} monachi de Caldre,
per dimissorias domini Eboracensis.

Gilbertus de Derlington, ad presentacionem magistri Johannis de Bowys, per dimissorias domini Dunolmensis.

Willelmus de Karliolo, per titulum xl solidorum per cartam Henrici de Seburgham, presentis et in judicio concedentis.

DIACONI.

Dominus Roaldus, rector ecclesie de Bouneys.

Willelmus dictus Papejoy, ad titulum patrimonii sui: probatum et testificatum per Johannem de Crofton, Andream dictum le Serjant, Willelmum filium Yvonis, et alios.

Hugo de Hayton, per titulum x solidorum per cartam Ade de Ulnesby, alias probatum.

Thomas de Penryth, per titulum x solidorum per cartam domini Johannis Aurifabri presbiteri, presentis et hoc in judicio concedentis.

Frater Henricus de Alverton, } monachi de Holm.
Frater Ricardus de Raby, }

Frater Walterus de Benigton, } monachi de Caldre,
Frater Robertus de Seghebrok, }
per dimissorias domini Eboracensis.

PRESBITERI.

Frater Thomas de Aspatrik, } monachi de Holm.
Frater Johannes de Raynington, }

Robertus dictus Parvink, de Karliolo, ad presentacionem prioris et capituli ecclesie Beate Marie Karlioli.

Jacobus Wrscip, de Karliolo, per titulum v marcarum per cartam Petri Wrscip, patris sui, presentis et hoc judicialiter concedentis.

[*Note as to the writ whereby the Bishop was allowed the keep of the Galloway hostages. See above, p. 180, and Bain's "Cal. Doc. Scot.", ii, 1300.*]

Memorandum quod breve regium, pretextu cujus vadia obsidum nuper existencium in castro Karlioli allocantur, invenietur in bursa Cumberlandie de anno regni regis Edwardi tricesimo.

[*Form of proceeding against those who hinder the Prior from carrying away his tithes.*]

Johannes etc. dilecto etc., salutem, graciam et benedictionem. Sua nobis dilectus in Christo filius prior noster ecclesie etc. suggestione graviter est conquestus quod J. de . . ipsum et suos decimam suam de . . contra morem solitum colligere et cariare, ut asserit, impedit minus juste in ecclesiastice libertatis subversionem, ipsius . . et ecclesie sue prejudicium, dampnum non modicum et

gravamen: propter quod, si est ita, in majoris excommunicacionis sentenciam, in hujusmodi subversores et perturbatores provide promulgatam, dampnabiliter incidit ipso facto. Quocirca vobis mandamus quatinus, apud . . personaliter accedentes, predictum Johannem moneatis vice et auctoritate nostra et efficaciter inducatis quod prefatum . . et suos ministros in hujusmodi decimis suis colligendis et cariandis more consueto non impediat aliqualiter seu molestet: et, si hujusmodi monicionibus vestris parere contempserit et ipsum fecisse inveneritis ut est dictum, extunc illum in dictam excommunicacionis sentenciam pronuncietis veraciter incidisse et excommunicatum in ecclesiis de . . publice nuncietis, ab hujusmodi denunciacione non cessantes donec aliud a nobis hubueritis in mandatis: citantes eundem nichilominus quod compareat coram nobis proximo die juridico post instans festum Sancti Mathei ubicunque etc., super sibi objiciendis canonice responsurus penamque canonicam pro demeritis recepturus ulteriusque facturus quod justicia suadebit; nos citra dictum diem certificantes distincte et aperte quid feceritis in premissis.

[*Mandate from the Bishop to the clergy of the deanery of Carlisle to cite before him, by proclamation in their churches, any one who can show cause why John, son of Adam de Brunskayth, a clerk convicted of theft, should not purge himself.*]

J. etc. dilectis in Christo filiis, decano suo Karlioli, ecclesiarum Sancte Marie, Sancti Cuthberti, Stanewegges, Rotheclef, Arthureth, Levington, Scaleby, Yrthington, Crosseby, Warthewyk, et Wedirhal presbiteris parochialibus, salutem, graciam et benedictionem. Dudum Johanne filio Ade de Brunskayth, clerico, super crimine furti multipliciter defamato et ob hoc per ministros regios capto et carceri mancipato, secundum leges et consuetudines regni super hujusmodi crimine coram justiciariis domini regis ad liberandum gaiolam in comitatu Cumbrie specialiter deputatis convicto, iidem justiciarii dictum Johannem clericum, tamquam membrum ecclesie, secundum consuetudines et libertates ecclesiasticas nobis, ut decuit, liberarunt uno modo vel alio libere judicandum. Verum quia idem J. super sibi impositis asserit se immunem, eidem, ad peticionem suam et aliorum testificancium ipsum esse bone fame proximum diem juridicum post instans festum Sancti Luce evangeliste in ecclesia nostra cathedrali coram nobis vel officiali nostro ad se purgandum super omnibus sibi impositis auctoritate ordinaria duximus prefigendum. Quocirca vobis omnibus et singulis sub

debito obediencie firmiter injungimus et mandamus quatinus quilibet vestrum in ecclesia vestra interim diebus dominicis et festivis intra missarum sollempnia, quando parochianorum major aderit multitudo, premissa omnia distincte lingua materna exponens premuniat et citet peremptorie omnes et singulos, qui aliquid sciant seu velint proponere contra eum quare, ut premittitur, idem clericus non debeat se purgare, quod compareant coram nobis vel officiali nostro dictis die et loco in forma juris proposituri quicquid voluerint contra eum pro termino peremptorio et preciso, vosque omnes intersitis ibidem nos vel officialem nostrum certificaturi quod feceritis in premissis per litteras vestras patentes fideliter, ut est moris. Data Karlioli, ix kalendas Octobris anno pontificatus nostri duodecimo.

[Fo. 36b.]

[*Ordination at Dacre, April 7, 1302.*]

CELEBRACIO ORDINUM DOMINI J. KARLIOLENSIS EPISCOPI IN ECCLESIA PAROCHIALI DE DAKER DIE SABBATI QUA CANTATUR "SICIENTES" ANNO DOMINI M° CCC° SECUNDO, PONTIFICATUS SUI UNDECIMO.

SUBDIACONUS.

Dominus Johannes de Estden, rector ecclesie de Southeys, Cicestrensis diocesis, per dimissorias domini Cicestrensis.

DIACONUS.

Rogerus de Campsal, per dimissorias domini Eboracensis et ad presentacionem magistri Roberti de Vanna et titulum quinque marcarum sibi concessarum per cartam Ade filii Gilberti, domini de Kirkbythor : testificatum et probatum per Thomam de Warthecopp et Robertum de Grinniston, juratos.

PRESBITER.

Magister Willelmus de Parlington, rector ecclesie de Kirkom, Candide Case diocesis, per dimissorias domini episcopi Candide Case nobis ostensas.

[*Appropriation by Bishop Halton of the church of Bromfield to the Abbey of St. Mary at York. A vicarage is reserved, with the right of collation thereto, by the bishops of Carlisle.*]

BROMFELD.

Johannes permissione divina Karliolensis episcopus dilectis sibi in Christo filiis abbati et conventui monasterii Beate Marie

Eboraci, ordinis Sancti Benedicti, salutem in omnium Salvatore. Divina pietas ex debito pastoralis officii nos admonet et inducit ut gravaminibus et oppressionibus Christi fidelium et precipue religiosorum, divino cultui jugiter insistencium, pietatis operibus occurramus et eorum necessitatibus beneficio subsidii, prout possumus, consulamus. Ad depressionem itaque status vestri monasterii et locorum ad ipsum pertinencium, in quibus multa caritativa opera circa Christi pauperes in suscepcione hospitum, sustentacione pauperum et consolacione egenorum ac aliis laudabilibus operibus multipliciter hactenus floruerunt, que jam vestris facultatibus deficientibus (proch dolor!) refrigescunt, pietatis oculos dirigentes ac attendentes et plenius cognoscentes quod manerium vestrum de Wytegift cum terris et redditibus, moris et aliis possessionibus et juribus, quas et que habuistis in Mersclandia, de quibus magna pars sustentacionis vestri monasterii ante hec tempora proveniebat, usque ad valorem CCC marcarum annuatim imperpetuum versus nobilem virum, dominum H. comitem Lincolnie, in curia domini regis nuper irrecuperabiliter perdidistis una cum decem mille marcarum, quas eidem comiti infra tempus satis breve solvere vos oportet, quodque bona ad vos et vestrum monasterium pertinencia per diversas exactiones, contribuciones, et soluciones decimarum, quinte, et medietatis bonorum hujusmodi per summum pontificem et regem Anglie impositas, factas et concessas, hostilesque incursus et depredaciones Scotorum et alios infortuitos et varios casus occasione diversarum guerrarum in regno Anglie jam a multis temporibus contingentes consumpta sunt miserabiliter et exhausta, adeo quod residuum eorum ad vestram et vestri monasterii sustentacionem, debita vestra persolvenda et alia onera vobis et vestro monasterio multipliciter necessario incumbencia non sufficit aliqualiter subportanda, divine voluntati gratum fore credimus et acceptum si per nostre provisionis auxilium vestris et vestri monasterii necessitatibus et inopie in premissis valeat provideri. Vestris igitur jacturis, oppressionibus et gravaminibus hujusmodi pio compacientes affectu ecclesiam de Brumfeld, cujus existitis veri patroni, nostre dyocesis, ad reparacionem status vestri monasterii et locorum ad ipsum pertinencium, debita vestra persolvenda, suscepionem hospitum, sustentacionem et consolacionem pauperum et egenorum, et divini cultus in vestro monasterio observandi continuum incrementum, ac multiplicacionem et continuacionem istorum et aliorum caritatis operum, ac etiam ad alia onera vobis et vestro monasterio multipliciter incumbencia facilius supportanda, cum omnibus juribus et pertinenciis suis vobis et vestro monasterio in proprios usus

imperpetuum concedimus tenore presencium et donamus, ita quod, rectore ejusdem cedente vel decedente, possessionem ejusdem ecclesie (cum vacaverit) libere auctoritate presencium habere valeatis; proviso quod perpetuo vicario in eadem ecclesia servituro congrua porcio ad suam sustentacionem et ad onera ordinaria ipsius ecclesie subportanda de fructibus et proventibus ipsius ecclesie assignetur, quam porcionem annuatim percipendam usque ad summam xl marcarum legalis monete taxamus — cujus vicarii collacionem (cum vacaverit) in recompensacionem lesionis juris ecclesie nostre Karliolensis ex hoc nobis et successoribus nostris futuris temporibus inperpetuum specialiter reservamus. In cujus rei testimonium has litteras nostras vobis fieri fecimus patentes, sigilli nostri munimine roboratas. Data Londoniis, ij idus Julii anno Domini M° CCC° secundo.

[*Proxy of John de Blencou to act for the Bishop in all causes and transactions touching his churches in Northumberland.*]

Universis pateat per presentes quod nos, J. miseracione divina Karliolensis episcopus, in omnibus causis et negociis nos et ecclesias nostras Dunelmensis diocesis in partibus Northumbrie qualitercumque contingentibus coram quibuscumque judicibus, ordinariis, delegatis, seu eorum commissariis, collectoribus seu executoribus, qualemcumque jurisdictionem seu nocionem habentibus, quibuscumque diebus et locis, quociens nos abesse vel adesse contigerit, dilectum nobis in Christo magistrum Johannem de Blencou, clericum, procuratorem nostrum facimus, ordinamus et constituimus per presentes, dantes eidem generale mandatum et specialem potestatem, nomine nostro et ecclesiarum nostrarum in partibus Northumbrie existencium, agendi, defendendi, debita nostra in partibus illis a quibuscumque debitoribus nostris petendi, exigendi et recipiendi, et acquietancias nostro nomine faciendi, appellandi, appellacionum causas prosequendi et easdem innovandi, status nostri reformacionem et in integrum restitucionem, quociens opus fuerit, petendi et recipiendi, juramentum de calumpnia et de veritate dicenda, necnon quodlibet aliud genus liciti sacramenti in animam nostram, prestandi, [eligendi] et subeundi, alium procuratorem loco sui substituendi et substitutum revocandi, quocienscumque et quandocumque sibi viderit expedire. Pro eodem, vero, J. et ab eo substituto cauciones, rem ratam haberi et judicatum solvi sub ypotheca rerum nostrarum promittimus et exponimus per presentes: que judicibus et partibus ac omnibus quorum interest

vel interesse poterit tenore presencium intimamus. In cujus rei testimonium sigillum nostrum presentibus duximus apponendum. Datum Karlioli, vj° nonas Octobris anno Domini M° CCC° tercio.

[Fo. 37a.]

[*William Burdon, rector of Musgrave, binds himself on becoming vicar of Newcastle-upon-Tyne to pay the accustomed annual pension of 26 marks, one moiety to the Bishop and the other to the Prior and Convent of Carlisle.*]

Acta in capitulo ecclesie cathedralis Karlioli in crastino Beate Marie Magdalene anno Domini M° CCC° tercio coram nobis Johanne, permissione divina Karliolensi episcopo, inter suppriorem et capitulum Karlioli (priore absente) ex parte una, et dominum Willelmum Burdon, rectorem ecclesie de Musegrave, ex altera:— videlicet, cum partes predicte coram nobis personaliter comparentes ordinacioni et jurisdictioni nostre ac summarie cognicioni in hac parte, quo ad statuendum, decernendum et exequendum per sentenciam excommunicacionis ac aliam censuram ecclesiasticam quamcunque latam, necnon et ad omnia alia facienda que incumbunt in hac parte, se pure et sponte subicerent et utrumque simpliciter assentirent, demum dictus dominus Willelmus, prehabita sufficienti deliberacione cum seipso et aliis amicis, confessus est se ecclesie Karliolensi antedicte et ejusdem episcopo, qui pro tempore est et erit, ac priori et conventui ejusdem loci in viginti et sex marcas sterlingorum teneri et obligatum esse, eisdem annuatim ad duos anni terminos (videlicet, in festo Sancti Martini et in festo Pentecostes) pro equalibus porcionibus prestandas et solvendas sine contradictione aliqua vel impedimento quocunque, et dictam pecunie summam annuatim, ut premittitur, exsolvendam (medietatem, videlicet, domino episcopo Karlioli et aliam medietatem priori et conventui antedictis) fideliter promisit et ex liberalitate propria se sponte ac simpliciter obligavit, quamdiu vicariam de Novocastro super Tynam teneret et vicarius esset ejusdem. Promisit insuper predictus dominus Willelmus quod nullo modo per se vel per alium quocumque colore aut figmento exquisito dictos dominum episcopum et priorem et conventum impediret vel impediri procuraret quominus jus suum in quadam annua pensione, prestacione, seu solucione viginti et sex marcarum, a vicaria antedicta prestari solita, prosequantur et coram quibuscumque judicibus competentibus summarie sine subterfugiis et dilacionibus frivolis vel alio quocumque modo legitimo declarent vel declarari facerent seu faciant, prout sibi viderint expedire, vel quod nullo modo auctoritate propria vel alia machinacione exquisita dictos episcopum et priorem

et conventum a dicta prestacione, solucione, vel percepcione, in cujus possessione pacifica per tempora diuturna extiterunt, sorciet, molestabit, spoliabit, vel pro suo tempore aliqualiter inquietabit: renunciando omni excepcioni et juri, competenti et competituro, per que premissa vel eorum aliqua quoquomodo poterunt impediri. Nos, igitur, premissa audientes dictum dominum Willelmum, de consensu suo proprio, in predictis omnibus et singulis et ad observacionem eorumdem [juxta] confessionem suam coram nobis factam, ut premittitur, in scriptis per viam percepti legitime condempnamus et ipsum juxta suam confessionem teneri pronunciamus. In quorum testimonium sigillum nostrum presentibus dignum duximus apponedum. Acta sunt hec anno, die et loco prenotatis in presencia nostra et partis utriusque antedicte, presentibus officiali nostro, Roberto de Suthayk, clerico, et multis aliis.

[*Power of attorney to the Abbot of Jedburgh to act as the Bishop's agent for lands and tenements in the county of Roxburgh, which he had of the King's gift.*]

Pateat universis presentes litteras inspecturis quod nos Johannes miseracione divina Karliolensis episcopus facimus, ordinamus et constituimus dilectum nobis in Christo dominum W. abbatem de Jeddeworth attornatum et appropriatorem nostrum de omnibus terris et tenementis que vel quas habemus de dono domini nostri, domini Edwardi regis Anglie illustris, in partibus et comitatu de Rokesburg, ita quod idem dominus abbas de exitibus et appruiamento terrarum et tenementorum predictorum de anno in annum, quamdiu noster fuerit attornatus, nobis respondeat et satisfaciat vel per alium satisfieri et ad plenum faciat responderi: dantes eidem potestatem specialem, suo tamen periculo, alium nomine nostro substituendi, quocienscumque sibi placuerit, ad premissa omnia facienda. Nolumus etiam quod Robertus de Novocastro, hactenus ballivus noster ibidem, de hiis que ad nos pertinent de cetero se aliquatenus intromittat et potestatem, alias sibi per nos in partibus illis commissam, per presentes penitus revocantes: proviso quod tenentes nostri in predictis terris degentes in suis juribus sustententur. In cujus rei testimonium sigillum nostrum presentibus est appensum, quamdiu nobis placuerit, in suo robore valituris. Data apud Rosam, die Sancti Bartholomei apostoli anno gracie M° CCC° tercio.

[*The Bishop makes known to the religious and clergy of his diocese that he has conferred the Archdeaconry on Peter de Insula, enjoining their obedience to him as such, and reserving to himself and his successors their ordinary jurisdiction.*]

J. etc. dilectis in Christo filiis, abbatibus, prioribus, rectoribus, vicariis, presbiteris parochialibus, ac aliis quibuscunque beneficia ecclesiastica in civitate et diocesi nostra Karlioli optinentibus, salutem, graciam et benedictionem. Quia archidiaconatum nostrum Karlioli nuper vacantem dilecto nobis in Christo magistro Petro de Insula, juris canonici professori, contulimus graciose ipsumque canonice in archidiaconatu instituimus memorato, vobis mandamus firmiter injungentes quatinus eidem magistro Petro, tanquam archidiacono nostro Karlioli, in casibus consuetis sitis obedientes et pariter intendentes: salvis nobis et successoribus nostris nostra jurisdictione ordinaria, hactenus in prefatis civitate et nostra diocesi usitata, et nostre Karliolensis ecclesie in omnibus dignitate. Data apud Rosam, iij° nonas Novembris anno Domini M° CCC° tercio et pontificatus nostri anno duodecimo.

[*The Abbot of St. Mary's at York presents John de Thorp to Bishop Halton for admission as Prior of Wetheral.*]

Venerabili in Christo patri ac domino suo semper reverendo, domino . . episcopo Karlioli, suus devotissimus J. permissione divina abbas monasterii Beate Marie Eboraci, salutem cum omni reverencia et honore, tam debitis quam devotis. Quia prioratus celle nostre de Wederhal, cujus nuper prior existimus, vestre diocesis, per creacionem nostram in abbatem dicti monasterii jam vacat, ne cella predicta in spiritualibus et temporalibus pro defectu regiminis ulterius detrimentum paciatur, dilectum nobis in Christo fratrem J. de Thorp, nostri monasterii commonachum, quem ad regimen dicti prioratus idoneum reputamus, vobis in priorem dicti loci tenore presencium presentamus, devote supplicantes quatinus ipsum in priorem dicti loci sine difficultate velitis admittere, secundum formam composicionis ultimo inite inter vestros et nostros predecessores, ac ulterius excercere circa eum, cum gracia et favore, quod vestrum fuerit in hac parte. Vos ad regimen ecclesie sue conservet Deus in prosperitate jocunda per tempora diuturna. Data Eboraci, iiij° idus Novembris anno Domini M° tricentesimo tercio.

[Fo. 37b.]

[*Account of a great public meeting in the garden of the Louvre, June 24, 1303, at which were rehearsed the articles of accusation brought against Pope Boniface by the States-General of France on June 14 preceding, when it was resolved to appeal from his authority to a general council or the next pope. See (for the parliament) Milman's "Latin Christianity", bk. xi, chap. ix.*]

Le jour de la Nativite Saint Johan Baptist mestre Bertold de Saint Denis, eveske d'Aurliens, preecha a Paris el gardin le roi, devant le roi de France, archeveskes, eveskes, abbes, priours, e la clergie de France, e devant les relegious, tant de freres menduians comme des autres, qui i vindrent a procession par semonse, e devant grant multitude de gens comme sans nombre. E fu son teme en latin, *Erat enim magnus coram Domino.* E porsui la matere de cel teme joskes a la fin, e puis dist que por aucunes noveles qui sunt venues du pape a ce que aucunes gens dient merveilleuses contre le roi de France, le roi e son conseil ont fet aucunes articles por le hancement de la pais de saint eglise e de la crestiente e por le sauvement del estat du roi e du roiaume: les quels articles il dist que un clerc lirait popliement demaintenant en latin e en franceis devant eus. Apres se leva un clerc, qui commencea de lire en un grant instrument popliement devant tous les avantnomes, e furent les chozes escrites en latin. E por ce que sa vois estoit trop simple e feble, se leva un autre clerc tantost par le commandement du roi e de son consail, qui est apele maistre Gilles de Remyo, e cil esponoit en franceis les articles desusdites, escrites el dit instrument puplik, e brement en la manere qui enseut:— "Segnors, por ce que les rois de France ont este toz jours gens de la foi e ont maintenu sainte eglise e l'estat de la sainte eglise de Rome plus avant que nul autre roi crestiens (a quel choze fere le roi de France uncore se force en quanqu'il peut e le voet faire e voet ester toz les empechemens d'errors qui poent estre entre crestiens), il vous fet a savoir que archeveskes, eveskes, abbes, priors, e autres nobles homes, contes e barons du roialme de France, ont propose, dit, e mis en escrit aucunes articles contre le pape Boniface, comme de heresie e d'autres chozes horribles asses (les queles il veulent tere au present), e li ont prie qu'il voille assentir as proposicions, qu'il ont jurees en lor almes qu'il croient qu'il sunt veraies e qu'il les porront prover, e qu'il voille doner aide e conseil que cest concile se face, quar a ce se sunt il assentus. La force des dis articles est tele: au commencement on met encontre le pape qu'il croit, contre la foi, que si tost comme le home moert l'alme moert ove li tantost. Item il dient que l'alme n'aura autre vie apres ceste e qu'il n'i a nule vie pardurable, e dient que par tel acheson le pape defendi que on ne

donast le sacrement de sainte eglise a un grant home de la court de Rome en son moriant. Item il dit que on ne peut fere nule symonie en la court de Rome. Item qu'il vent les chozes espirituеles, comme des ordres, dignites, en dispensacions. Item qu'il ne croit fors qu'en sorcers e sorceres. Item qu'il abesse saint eglise par les gerres qu'il met entre crestiens. Item qu'il voet destruire la crestiente por ce que on li met seure qu'il devroit dire qu'il leroit plus tost destruire l'eglise qu'il ne lessast ce qu'il ad en propos a destruire, le roi e le roialme de France. Item on li met seur qu'il n'i ad autre eglise que l'eglise de Rome e qu'il tient tous por parjures qui croient autrement e qui ne sevent ses maneres. Item qu'il a dit qu'il ameroit miels estre chien que franceis." Apres toutes les choses desusdites le dit clerc dist, "Segnours, tant plus d'errors seroient entre les crestiens se le pape fust maintenu en son errour: por quoi ons a mis toutes les choses desusdites contre li en escrit e les avandis prelas, contes e barons ont jure seur saintes evangeles qu'il croient que toutes les choses avandites soient veraies e qu'il les porront bien prover." E dit cil clerc que le pape porchace guerre, commocion de gens, e tous les mals du monde. Item qu'il ne voloit doner la disme d'Engleterre au roi d'Engleterre s'il ne grantast qu'il vouloit guerroier France de meisme cele disme. Item que le pape defent partout que pais ne se face au roi de France. Item que le pape revele confessions de gens e puis par ces confessions les met en main pupplike, a confusion (sicomme il avint) d'un eveske d'Espagne: sicomme il dit que se confessa a un cardinal, de qui le pape vouloit savoir cele confession e, quant il la sout, il le desposa e puis le remist en son estat por argent. Item il dient qu'il a fet a tort morir certaines gens qui desputerent se le pape Celestien, qui fut pape devant li, porreit renuncier a la papaute. Item qu'il fet tormenter e tant ferir les gens devant li, quant il le plest, qu'il recevent de ce la mort. Apres le dit clerc dist, "Por ce que on doute que le pape face contre le roi, contes, barons devantdis e autres du roialme de France—chose qui soit nusante ou prejudiciel a els—il ont fet por els e por leur estat e por tous, qui volent aerdre a els, une provocacion e un apel au prochen concile a venir ou au prochen successor du dit pape Boniface, e ont mis els, le roialme de France, leur terres e lor possessions e de tous ceus, qui se voudront aerdre a els, a la protection de Dieu." La quele provocacion e appel le dit clerc lut tantost en latin devant tout le poeple. Puis apres le departir de cel clerc ij freres prechours, dont l'un fu apele frere Renaud d'Albyniak, e ij freres menors esturent amont en lieu du dit clerc: e le dit frere Renaud recommencea le teme du dit eveske

d'Aurliens e descendi a parler a la matere de verite plus avant que l'evveske n'out parle, e dit que on parle verite devant Dieu, "car verite n'a cure de flaterie ne de vilanie, sicomme je ne parle por flaterie du roi ne por dire vilanie du pape, mes por la bone conscience du roi desclairer e por pronuncer son bon renon, e que vous saches que ce qu'il fet il fet por sauvacion de vos almes. E puis que le pape voit destruire le roi e le roialme, nous devoms trestous prier les prelas, contes e barons, e trestous ceus du roialme de France qu'il voillent maintenir l'estat du roi e de son roialme." Apres ces freres se sistrent, e vint en leur lieu un Johan de Monceny, borgois de Paris, e dist, "Segnors, vous avez oi comment l'en a propose contre le pape, e les provocacions e les apeals que on a fet de luy, e aussint les mises que on a fet en la protection de Dieu: e voloms que vous saches que le chapitre de Paris e tous les chapitres du roialme de France e l'universite de Paris se sunt assentus e aers a toutes les choses devantdites. Por quoi nous vous commandoms que—puis que la chose touche le bien du roi e du roialme e le bien de vous tous—que vous nous dies se vou voliles acorder as choses desusdites ou non; e tant le plus tost, por ce [Fo. 38a.] que nous avoms ici materes pupplikes, qui deivent porter record de vostre assent." E la plus grant partie de ceus, qui furent presents, disoient, "Oil, oil, oil!" L'endemain de la Saint Johan le roi de France fist mander aucuns de ses gens ovec tabellions as maisons des freres menduians, e fist examiner chescun frere par sei s'il vousist assentir as proposicions ou non, e troverent assez de diverses langes qui ne s'i vouloient assentir. E ceus qui ne s'assentirent, il leur commanderent tantost de par le roi de voider le roialme: e ceus s'en alerent tantost.

[*Ordination in the Cathedral, Sept. 21, 1303.*]

CELEBRACIO ORDINUM DOMINI JOHANNIS DEI GRACIA KARLIOLENSIS EPISCOPI IN ECCLESIA CATHEDRALI KARLIOLI DIE SABBATI QUATUOR TEMPORUM MENSE SEPTEMBRIS ANNO DOMINI M°CCC° TERCIO, PONTIFICATUS SUI DUODECIMO.

ACOLITI.

Gilbertus de Haluton.
Johannes de Dolfinby.
Johannes de Skelton.
Johannes filius Stephani de Karliolo.

Johannes filius Edmundi de Gardino, de Karliolo.
Symon filius Ricardi de Tyrer.

SUBDIACONI.

Johannes de Medburn, rector ecclesie de Merton.
Robertus de Haluton.
Willelmus de Culgaith,
Thomas de Wytebern,
Hugo de Thorneton,
Thomas de Rue,
} canonici de Extildisham,
per dimissorias domini Eboracensis.
Frater Robertus de Burneton,
Frater Johannes de Wtton,
} de ordine Predicatorum.

DIACONI.

Frater Willelmus de Hurthwrth,
Frater Galfridus de Karliolo,
} canonici Karlioli.
Frater Johannes de Karliolo,
Frater Johannes de Wygeton,
} canonici de Hepp.
Frater Thomas de Overton,
Frater Thomas Travers,
} canonici de Coningesheved,
per dimissorias domini Eboracensis.
Dominus Willelmus de Houden, rector ecclesie de Plumsted, Norwycensis diocesis, per litteras dimissorias domini Norwycensis.
Henricus de Stanewegges, ad titulum quinque marcarum sibi per cartam Radulphi de Herington concessarum: in judicio exhibitam et probatam.

PRESBITERI.

Frater Johannes de Hoton, canonicus de Coningesheved, per dimissorias domini Eboracensis.
Frater Johannes de Merston, monachus de Caldre, per dimissorias domini Eboracensis.
Frater Johannes de Selby, de ordine Predicatorum.
Alanus filius Willelmi de Kel, per dimissorias domini Lincolniensis, testificantes ipsum habere sufficientem titulum de dominis abbate et conventu de Revesby, Lincolniensis diocesis.

[*Ordination at Lazonby, Dec. 21, 1303.*]

CELEBRACIO ORDINUM DOMINI JOHANNIS DEI GRACIA KARLIOLENSIS EPISCOPI IN ECCLESIA PAROCHIALI DE LEYSINGBY, KARLIOLENSIS DIOCESIS, DIE SABBATI QUATUOR TEMPORUM MENSE DECEMBRIS ANNO DOMINI M°CCC° TERCIO ET PONTIFICATUS SUI DUODECIMO.

ACOLITI.

Willelmus dictus Maynman, de Gamelisby.

Frater Thomas de Corby,
Frater Willelmus de Benington, } monachi Furnesii,
per dimissorias domini Eboracensis.

Johannes de Scaleby.

Willelmus filius Willelmi Heny, de Melmorby.

Willelmus de Walby.

SUBDYACONI.

Ricardus filius Nicholai de Caldecotys, de Karliolo, ad titulum quadraginta solidorum sibi concessorum per cartam Johannis filii Ricardi de Capella: exhibitam in judicio et probatam.

Simon de Melmorby, ad titulum quadraginta solidorum per cartam Walteri Munby de Melmorby, patris sui, concessorum: exhibitam in judicio et probatam.

DIACONI.

Robertus de Haluton, rector ecclesie de Musegrave.

Johannes filius Ricardi de Appilby, ad presentacionem magistri Johannis de Bowys.

Willelmus filius Willelmi de Deneby, de Karliolo, ad titulum quadraginta solidorum per cartam Henrici de Seburgham: exhibitam alias in judicio et probatam.

PRESBITERI.

Frater Thomas de Roystam,
Frater Ricardus de Kendal, } monachi de Caldre,
per dimissorias domini Eboracensis.

[Fo. 38b.]

[*Dispensation for illegitimacy in accordance with the provisions of a papal mandate.*]

Johannes miseracione divina etc. dilecto in Christo filio Johanni

Stephani de Karliolo, clerico, nostre diocesis, salutem, graciam et benedictionem. Litteras sanctissimi patris et domini, domini Bonifacii Octavi, divina providencia pontificis summi, pro te nobis nuper directas recepimus in hac forma. Bonifacius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri . . episcopo Karliolensi, salutem et apostolicam benedictionem. Accedens ad presenciam nostram dilectus filius Johannes Stephani de Karliolo, clericus, tue diocesis, nobis humiliter supplicavit ut cum eo super defectu natalium quem patitur, de soluto genitus et soluta, quod hujusmodi non obstante defectu possit ad omnes ordines promoveri et ecclesiasticum beneficium obtinere, etiam si curam habeat animarum, dispensare misericorditer curaremus. Ad te igitur remittentes eundem fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus, consideratis diligenter circumstanciis universis que circa ydoneitatem persone fuerint attendende, si paterne non est incontinencie imitator set bone conversacionis et vite (super quibus tuam intendimus conscienciam onerare), aliasque sibi merita suffragantur ad dispensacionis graciam optinendam, secum super premissis auctoritate nostra dispenses, prout secundum Deum anime sue saluti videris expedire : ita tamen quod idem clericus, sicut requiret onus beneficii quod eum post dispensacionem hujusmodi obtinere contigerit, ad ordines se faciat statutis temporibus promoveri et personaliter resideat in eadem ; alioquin hujusmodi gracia, quoad beneficium ipsum, nullius penitus sit momenti. Quia igitur, diligenti et fideli super premissis facta inquisicione per fidedignos originem tuam et conversacionem diutinam plenius cognoscentes, quorum testimonio fides est in hac parte merito adhibenda, comperimus te, de soluto genitum et soluta, vite et conversacionis honeste esse et fuisse, aliasque tibi morum et virtutum merita suffragari, quibus ad dispensacionis graciam optinendam te sufficientem habilem reddis et ydoneum manifestas ut, dicto defectu natalium non obstante, ad omnes ordines valeas promoveri et ecclesiasticum beneficium optinere, etiam si curam habeat animarum, consideratis diligenter circumstanciis que circa ydoneitatem persone tue in presenti negocio fuerint attendende, auctoritate predictarum litterarum et secundum formam earundem tecum misericorditer dispensamus. In cujus rei testimonium has nostras litteras tibi fieri fecimus patentes sigilli nostri munimine roboratas. Data Karlioli, xiij° kalendas Januarii anno gracie M° CCC° secundo, pontificatus nostri anno undecimo.

[*Note of the collation and induction to the church of Musgrave.*]

II Idus Januarii anno Domini M° CCC° tercio apud Rosam contulit dominus episcopus ecclesiam de Musegrave, Karliolensis diocesis, Roberto de Halouton, clerico suo, et ipsum instituit canonice in eadem. Et demandatum fuit magistro Petro de Insula, tunc archidiacono Karlioli, ut dictum Robertum in possessionem ecclesie ejusdem induceret corporalem.

[*Also of collations and inductions to the vicarages of Torpenhow, Bromfield, and Dalston.*]

Eodem die et anno contulit dominus episcopus vicariam ecclesie de Thorpennou domino Rogero Paytevin, et vicariam ecclesie de Brumfeld Radulpho de Acle, et vicariam ecclesie sue de Dalston Gilberto de Dernington, diacono. Et demandatum fuit domino archidiacono, ut prius, quod ipsos in predictarum vicariarum possessionem induceret corporalem.

[*Acquittance and bond for the payment of a surplus of £10, and of £40 for a marriage to be contracted between Richard de Denton and the Bishop's niece, from Bishop Halton to John de Denton, lately vicar of St. Nicholas', Newcastle-upon-Tyne, and his proctor in Northumberland.*]

Universis Christi fidelibus ad quorum noticiam pervenerit hec scriptura Johannes, miseracione divina Karliolensis episcopus, salutem in omnium Salvatore. Vestre universitati innotescimus per presentes quod cum dominus Johannes de Denton, nuper vicarius ecclesie Beati Nicholai de Novocastro super Tynam, procurator noster in partibus Northumbrie, de omnimodis bonis nostris ibidem existentibus pro toto tempore suo coram nobis et nostris fidelem compotum reddidit et finalem, quo viso et examinato fatemur nos sibi teneri in decem libris sterlingorum de superplusagiis suis: fatemur etiam nos teneri eidem domino J. in quadraginta libris sterlingorum pro matrimonio contrahendo inter Ricardum, fratrem suum, et Ceciliam de Braserton, neptem nostram, solvendis predicto domino Johanni dictis quadraginta libris, simul cum decem prenotatis; videlicet, in festo Sancti Martini anno Domini M° CCC° quarto duodecim libris et decem solidis, et in festo Sancti Martini anno Domini M° CCC° quinto duodecim libris et decem solidis, et in festo Sancti Martini anno Domini M° CCC° sexto duodecim libris et decem solidis, et in festo Sancti Martini anno Domini M° CCC° septimo duodecim libris et decem solidis. Ad quam quidem solucionem, ut premittitur, fideliter faciendam obligamus nos et omnia bona nostra cohercioni et districtioni

cujuscunque judicis quem dominus Johannes duxerit eligendum. Ad hoc, quia predictus dominus Johannes de omnibus debitis, in quibus nobis tenebatur, de toto tempore quo in partibus Northumbrie fuit procurator noster et similiter de toto tempore quo fuit vicarius ecclesie memorate, et de quadam domo nostra extra portam Novicastri super Tynam per ipsum ammota et asportata integraliter satisfecit, ipsum ab onere compoti et aliis actionibus quibuscumque quietum clamamus et inperpetuum reddimus absolutum. Data apud Rosam, xvj kalendas Marcii anno Domini M° CCC° tercio. In cujus rei testimonium sigillum nostrum presentibus est appensum.

[*Note of the admission of William de Tanefeld as Prior of Wetheral.*]

Memorandum quod, xv kalendas Aprilis anno Domini M° CCC° tercio et pontificatus domini J. Dei gracia Karliolensis episcopi xij°, admissus fuit dompnus Willelmus de Tanefeld ad prioratum de Wederhal et commissa fuit ei cura ecclesiarum parochialium spectancium ad prioratum antedictum.

[Fo. 39a.]

[Kirkby Stephen V.—*Presentation by the Abbot and Convent of St. Mary's at York, on the resignation of Thomas de Capella.*]

Littera presentacionis Thome de Leycestre ad vicariam de Kirkebystephan.

Reverendo in Christo patri, domino J. Dei gracia episcopo Karlioli, sui J. permissione divina abbas monasterii Beate Marie Eboraci et ejusdem loci conventus, salutem, obedienciam, reverenciam omnimodam et honorem. Ad vicariam de Kirkebistephan, vestre diocesis, per resignacionem domini Thome de Capella, nuper vicarii ejusdem, vacantem et ad nostram presentacionem spectantem, dilectum nobis in Christo dominum Thomam de Leycestre, presbiterum, caritatis intuitu paternitati vestre presentamus, devote supplicantes quatinus eundem dominum Thomam ad eandem vicariam admittere ac in eadem instituere velitis : salva nobis de eadem antiqua et consueta pensione. Data Eboraci, vj° kalendas Junii anno Domini M° CCC° quarto.

[*Institution of the presentee.*]

Institucio domini Thome de Leycestre in vicaria de Kirkebistephan.

J. etc. dilecto in Christo filio domino Thome de Leycestre, presbitero, salutem, graciam et benedictionem. Tue probitatis et

conversacionis laudabilia merita propensius attendentes, quibus speramus te velle supra gregem tibi commissum cum summa diligencia vigilare, ad vicariam ecclesie parochialis de Kirkebistephan, nostre diocesis, per resignacionem domini Thome de Capella, nuper vicarii ejusdem ecclesie, vacantem, ad quam per religiosos viros abbatem et conventum Beate Marie Eboraci, veros patronos dicte vicarie, nobis presentatus existis, te admittimus intuitu caritatis et perpetuum vicarium in forma juris instituimus in eadem: salvis dictis religiosis pensione consueta et debita ab antiquo et nostre Karliolensis ecclesie et nostra in omnibus dignitate. Data apud Linstok, xij kalendas Julii anno Domini M° CCC° quarto et pontificatus nostri xij°.

[ARTHURET V.—*Presentation by the Abbot and Convent of Jedburgh.*]

LITTERA PRESENTACIONIS DOMINI THOME DE CAPELLA AD VICARIAM DE ARTURETH.

Reverendo in Christo patri, domino J. Dei gracia episcopo Karlioli, W. permissione divina abbas monasterii de Jeddeworth et ejusdem loci conventus, salutem et obedienciam debitam cum reverencia et honore. Ad vicariam ecclesie parochialis de Arthureth, vestre diocesis, vacantem et ad presentacionem nostram spectantem, dominum Thomam de Capella, presbiterum, secundum tenorem composicionis inter vos et nos inite, vobis caritatis intuitu tenore presencium presentamus, reverende paternitati vestre supplicantes humiliter et devote quatinus dictum dominum Thomam ad dictam vicariam admittere velitis et vicarium instituere in eadem. In cujus rei testimonium presentibus sigillum capituli nostri apposuimus. Data in capitulo nostro de Jeddeworth, die Lune proxima post festum Sancti Barnabe apostoli anno Domini M° CCC° quarto.

[*Institution.*]

INSTITUCIO DOMINI THOME DE CAPELLA IN VICARIA DE ARTURETH.

J. etc. dilecto in Christo filio domino Thome de Capella, presbitero, salutem, graciam et benedictionem. Ad vicariam ecclesie parochialis de Arthureth, nostre diocesis, per resignacionem domini Thome de Leycestre, nuper vicarii ejusdem, vacantem, te, per nos ad eandem vicariam electum nobisque per religiosos viros abbatem et conventum de Jeddeworth canonice presentatum secundum tenorem composicionis inter nos et dictos religiosos inite ab antiquo, admittimus intuitu caritatis et perpetuum vicarium in forma juris instituimus in eadem. Data apud Linstok, viij kalen-

das Julii anno Domini M° CCC° quarto et pontificatus nostri duodecimo.

Littere inductionis mandantur archidiacono pro utroque sub eadem data.

[Ousby R.—*Collation, by reason of the resignation of R. Peytevin, and saving a pension to the Priory of Carlisle.*]

Institucio G. de Halouhton in ecclesia de Ulvesby.

J. etc. dilecto etc. Gilberto de Halouhton, salutem, etc. Ecclesiam parochialem de Ulvesby, nostre diocesis, per resignacionem domini R. Peytevin, nuper rectoris ejusdem, vacantem et ad nostram collacionem spectantem, tibi conferimus intuitu caritatis teque rectorem instituimus canonice in eadem: salvis religiosis viris, priori et conventui Beate Marie Karlioli, pensione consueta et debita ab antiquo et nostre Karliolensis ecclesie ac nostra in omnibus dignitate. Data apud Linstok, viij kalendas Octobris anno etc. CCC° quarto et pontificatus nostri terciodecimo.

[*Dispensation to study for seven years, power being reserved to the Bishop to appoint a vicar.*]

Dispensacio ejusdem G.

J. etc. dilecto etc. G. de Halouhton, rectori ecclesie de Ulvesby, nostre diocesis, salutem, etc. Laudabile propositum quod ad studendum, ut asseris, intime concepisti favore gracie specialis prosequi cupientes ut fructum in ecclesia Dei tuo tempore [afferre valeas] oportunum, quod, usque ad septennium a tempore tibi commissi regiminis numerandum litterarum studio insistens, nisi ad ordinem subdiaconatus dumtaxat, quem infra primum annum suscepti regiminis recipiendum astrictus existis, promoveri minime [compellaris], tecum juxta formam constitucionis novelle tenore presencium libere dispensamus: vicarii in ecclesia tua predicta preficiendi tenore constitucionis antedicte nobis potestate reservata. Volumus etiam quod idoneum responsalem interim habeas loco tui. Data apud Linstok, vij kalendas Octobris anno etc. CCC° quarto et pontificatus nostri terciodecimo.

[*Letters dimissory.*]

J. etc. dilecto etc. G. de Haluhton, rectori ecclesie de Ulvesby, [nostre diocesis, salutem, graciam et benedictionem]. Ut a quocunque episcopo catholico, sedis apostolice graciam specialem [optinente], ad quoscunque [sacros ordines licite] valeas promoveri, tibi per quemcunque episcopum [volentem tibi manus sacras imponere] concedimus in Domino fac[ultatem]. Data apud Rosam

. . . . . .

[Fo. 39b.]

[KIRKCAMBOC R.[1]—*Memorandum as to the presentation made by the Prior and Convent of Carlisle.*]

PRESENTACIO MAGISTRI ADAM[2] DE CROKEDAYK AD ECCLESIAM DE CAMBOC.

Memorandum quod xj kalendas Septembris anno Domini M° CCC° quarto presentarunt religiosi viri, prior et conventus ecclesie Beate Marie Karlioli, dilectum clericum suum, magistrum Alexandrum[2] de Crokedayk, ad ecclesiam de Camboc, vacantem per mortem magistri Symonis de Tyrer. Inquisicione igitur facta et remissa, commissa fuit sibi cura ejusdem xviij kalendas Octobris anno eodem.

[*Presentation of Alexander de Crokedayk, saving the accustomed pension to the church of Carlisle.*]

PRESENTACIO PRIORIS ET CONVENTUS BEATE MARIE KARLIOLI AD ECCLESIAM DE CAMBOC.

Venerabili in Christo patri ac domino J., Dei gracia Karliolensi episcopo, sui devoti prior et conventus ecclesie Beate Marie Karlioli, salutem et debite devocionis exhibicionem cum omni reverencia et honore. Ad ecclesiam de Camboc, vestre diocesis, vacantem et ad nostram presentacionem hac vice spectantem, dilectum clericum nostrum, magistrum Alexandrum de Crokedayk, vobis tenore presencium presentamus, paternitatis vestre reverenciam attencius exorantes quatinus divine caritatis intuitu et hujus presentacionis nostre obtentu ipsum ad eandem velitis admittere et rectorem instituere in eadem : salvis nobis et ecclesie nostre predicte pensione inde debita et consuetu. In cujus rei testimonium sigillum nostrum commune presentibus est appensum. Data Karlioli, xij kalendas Septembris anno etc. CCC° iiij.

[*Inquisition touching the right of patronage, there being another presentee.*]

Presentavit nobis etiam Ricardus de Tyrer Symonem de Tyrer, clericum suum, ad eandem ecclesiam, xvij kalendas Augusti anno supradicto, ad suam presentacionem spectantem, ut dicit : et concessa fuit utrique littera inquisitoria. Facta igitur inquisicione, jurati dicunt quod dicta ecclesia vacat et vacavit a die Jovis proxima ante festum Assumpcionis Beate Marie virginis per mortem magistri Symonis de Tyrer, ultimo rectoris ejusdem, et quod Henricus de Tyrer, pater dicti Ricardi, ultimo presentavit

[1] Now merged in the parishes of Lanercost and Stapleton. See Prescott's *Register of Wetherhal*, p. 198*n*.

[2] *Sic.*

magistrum Symonem de Tyrer, filium suum, et modo domini prior et conventus Beate Marie Karlioli presentare debent ad eandem ista vice virtute cujusdam composicionis inite inter eosdem et ostense in judicio in presencia dicti Ricardi, qui dictam composicionem agnovit, et in proxima vacacione dictus Ricardus et heredes sui presentare debent, et sic vicissim imperpetuum : et sic non est litigiosa, set est pensionaria dictis religiosis in ij solidis annuis. Dicunt etiam quod presentatus dictorum religiosorum est liber et legitimus et sufficienter litteratus et legitime etatis, ut credunt, et habet primam tonsuram, et valet dicta ecclesia communibus annis c solidos. In cujus rei testimonium presentem inquisicionem, sigillis rectorum et vicariorum per quos facta fuit signatam et sub sigillo officialitatis Karlioli inclusam, transmisit officialis Karlioli domino episcopo. Et fuit facta predicta inquisicio apud Karliolum, ij idus Septembris anno Domini M° CCC° quarto.

[Barton R.—*Presentation to this title of John de Louther, not yet an acolyte.*]

Venerabili in Christo patri domino J., Dei gracia Karliolensi episcopo, suus devote obediencie filius J. de Lancastre, miles, salutem cum omni reverencia, obediencia et honore debitis tanto patri. Ad titulum ecclesie de Barton, per mortem magistri Willelmi de Corbrigg, nuper rectoris ejusdem, vacantis et ad meam presentacionem spectantis, dilectum mihi in Christo Johannem filium Hugonis de Louther, militis, clericum meum, paternitati vestre presento intuitu caritatis: rogans humiliter et devote quatinus ipsum ad titulum ejusdem ecclesie admittatis, et ipsum ordinatum rectorem canonice in eadem instituatis. In cujus rei testimonium presentibus sigillum meum apposui. Data apud Barton, die Mercurii proxima post festum Assumpcionis Virginis gloriose anno etc. CCC° quarto.

[*Inquisition thereupon in the church of Morland. The presentee is in his fifteenth year.*]

Reverendo etc. domino J., Dei gracia Karliolensi episcopo, suus officialis Karlioli, debitam obedienciam et honorem. Mandatum vestrum nuper recepimus in hec verba. J. etc. Karliolensis episcopus suo officiali Karlioli, salutem, etc. Presentavit nobis nobilis vir dominus J. de Lancastre, miles, dilectum suum J. de Louther, clericum, ad ecclesiam de Barton, nostre dyocesis, vacantem et ad ipsius patronatum spectantem, ut dicit. Quocirca vobis mandamus quatinus, vocatis coram vobis die Veneris proxima ante instans festum Exaltacionis Sancte Crucis, ubi magis videritis

expedire, rectoribus, vicariis ac aliis, quorum interest, decanatus Westmerlandie, in quo dicta ecclesia dinoscitur esse sita, sollicite inquiratis si dicta ecclesia vacet, qualiter vacat, a quo tempore vacavit, quantumque valeat, si sit litigiosa vel pensionaria, et cui et in quantum, quis verus patronus ejusdem, et quis ad eandem tempore pacis ultimo presentavit, de moribus etiam presentati, de litteratura, ordinibus, et etate, ac aliis circumstanciis debitis et articulis consuetis. Facta vero inquisicione, eam sigillis eorum per quos facta fuerit consignatam et sigillo vestro inclusam nobis maturitate qua convenit transmittatis. Data apud Linstok, xiij kalendas Septembris anno pontificatus nostri xij°.

Hujus igitur auctoritate mandati, convocatis convocandis dicto die Veneris in ecclesia parochiali de Morland, personaliter constitutus [super premissis sollicite inquisivi]. Qui jurati dicunt quod dicta ecclesia vacat et vacavit a die Assumpcionis Beate Marie virginis ultimo preterito per mortem magistri W. de Corbrigg, ultimo rectoris ejusdem, et valet communibus annis x libras extra porcionem quam prior et conventus de Wartre habent in eadem, que taxatur ad xij libras ; et sic est porcionaria, non tamen pensionaria ; non est litigiosa ; dominus J. de Lancastre est verus patronus ejusdem et dominus Rogerus de Lancastre, pater dicti domini J. (cujus heres ipse est), tempore pacis ultimo presentavit ad eandem. Dicunt etiam quod presentatus est liber et legitimus, et quod est xiiij annorum completorum et attingit quintum decimum annum, et probabiliter litteratus est quantum etas permittit, et habet primam tonsuram. Cetera dictum presentatum contingencia vestro arbitrio relinquuntur. In cujus rei testimonium presentem inquisicionem sigillis dictorum vocatorum, sub sigillo officialitatis vestre inclusam, vestre reverende paternitati transmittimus consignatam. Data apud Morland, iij idus Septembris anno etc. CCC° quarto.

[Fo. 40a.]

[*Ordination in the Cathedral, Sept. 19, 1304.*]

CELEBRACIO ORDINUM DOMINI JOHANNIS DEI GRACIA KARLIOLENSIS EPISCOPI IN ECCLESIA CATHEDRALI KARLIOLI DIE SABBATI QUATUOR TEMPORUM MENSE SEPTEMBRIS ANNO DOMINI M° CCC° QUARTO ET PONTIFICATUS SUI XIIJ°.

ACOLITI.

Johannes de Louther.
Frater Thomas de Burton, canonicus de Hepp.
Henricus de Wygeton.

Robertus de Newerk, de Karliolo.
Michael de Stirkeland.
Ricardus dictus le Gayte, de Karliolo.
Adam filius Adam de Karliolo.

SUBDIACONI.

Dominus Matheus, rector ecclesie de Morton, Glasguensis diocesis, per dimissorias domini Glasguensis.

Frater Willelmus de Blakeden, de ordine Predicatorum.

Radulphus de Bridekirk, ad titulum xl solidorum sibi per cartam Thome de Redman concessorum: in judicio exhibitam et probatam.

Johannes de Dolfinby, ad titulum xl solidorum sibi per cartam Ricardi de Langwathby, clerici, concessorum: dicto Ricardo presente et hoc judicialiter concedente.

Johannes de Scaleby, ad titulum v marcarum sibi per cartam Henrici de Malton concessarum: presentis et judicialiter concedentis.

DIACONI.

Magister Ricardus de Cokeshou, rector ecclesie de Qwelpington, Dunelmensis diocesis, per dimissorias domini Dunelmensis.

Ricardus de Karliolo, ad titulum v marcarum sibi per cartam Johannis filii Ricardi de Capella concessarum: exhibitam alias in judicio et probatam.

Frater Odinell de Roubyri,
Frater Thomas de Burton,
Frater Robertus de Mulcastre,
} de ordine Predicatorum.

Johannes de Neuton, ad titulum xl solidorum sibi per cartam Thome de Hoton concessorum: exhibitam alias in judicio et probatam.

Willelmus de Merkington, factus incola per moram xvj annorum et amplius, ad titulum xl solidorum sibi per cartam Nicholai de Grendon concessorum: exhibitam alias in judicio et probatam.

Nicholaus dictus Orre, de Staynewegges, ad titulum xl solidorum sibi per cartam Henrici le Fourbour, de Karliolo, concessorum: exhibitam alias in judicio et probatam.

Johannes de Kirkebythor, ad titulum v marcarum sibi per cartam Johannis Broye, de eadem, concessarum: exhibitam alias in judicio et probatam.

Radulphus de Cringledik, ad titulum v marcarum sibi per cartam Willelmi de Wyclyff concessarum: dicto W. presente et hoc judicialiter concedente.

PRESBITERI.

Dominus Henricus, rector ecclesie de Dufton.

Gilbertus de Derlington, vicarius ecclesie de Dalston.

Frater Johannes de Karliolo, } canonici de Hepp.
Frater Johannes de Wygeton, }

Frater Johannes de Woutton, de ordine Predicatorum.

Willelmus filius Willelmi de Deningby, de Karliolo, ad titulum v marcarum sibi per cartam Henrici de Seburgham concessarum: dicto Henrico presente et hoc judicialiter concedente.

Andreas de Qwyteby, ad titulum unius prebende in domo Sancti Nicholai extra Karliolum et duarum marcarum sibi per magistrum et fratres dicti hospitalis concessarum: exhibitum alias in judicio et probatum. Per dimissorias domini Eboracensis.

[Fo. 40b.]

[*Resignation of Adam de Warthwyk, prior of Carlisle; and petition of the Convent for leave to elect a successor.*]

Memorandum quod xiiij° kalendas Octobris anno Domini M° CCC° quarto dompnus Adam de Warthwyk, prior ecclesie Beate Marie Karlioli, cessit suo prioratui, ac omne jus sibi competens in eodem infra capitulum ejusdem loci in manus domini J., Dei gracia Karliolensis episcopi, sponte resignavit. Qua resignacione facta dompnus Johannes de Kendal, supprior predicte ecclesie, et ejusdem loci conventus eligendi alium priorem a predicto domino episcopo petebant licenciam sub hac forma.

[1]Venerabili etc. J. Karliolensi episcopo sui devoti J. de Kendal, supprior ecclesie Beate Marie Karlioli, et ejusdem loci conventus, salutem et reverenciam in Domino genuflexam cum debitis obediencia et honore. Vestram non latet paternitatem reverendam qualiter ecclesia nostra predicta per cessionem reverendi viri Adam de Warthewyk, quondam prioris nostri, in manibus vestris factam, prioris est solacio destituta. Ne igitur ecclesia nostra propter diuturnam vacacionem gravem paciatur in temporalibus et spiritualibus lesionem, vos presentibus litteris requirimus humiliter et

[1] In margin: "Pro licencia eligendi priorem Karlioli."

rogamus quatinus eligendi licenciam nobis liberaliter concedatis. Data Karlioli sub sigillo nostro communi, xiiij kalendas Octobris anno etc. CCC° iiij^to^.

[*The Prior's reasons for resigning.*]

RESIGNACIO PRIORIS KARLIOLI.

In Dei nomine, amen. Ego frater Adam, prior ecclesie Beate Marie Karlioli, senciens me impotentem ac insufficientem ad regimen prioratus ecclesie memorate, senio confractus ac aliis sensibus corporalibus debilitatus, in manus vestras, domine Johannes Karliolensis episcope, curam et regimen dicti prioratus mera et spontanea voluntate et simpliciter et absolute resigno totaliter per presentes, ac omni juri quod habeo vel habere potero in regimine dicti prioratus, necnon oneri et honori ejusdem, renuncio atque cedo. In cujus rei testimonium sigillum meum presentibus est appensum. Actum et datum Karlioli in capitulo dicte ecclesie, xiiij kalendas Octobris anno Domini M° CCC° iiij^to^.

[*The Bishop assigns suitable provision for him out of the revenues of the Priory, having regard to his long service and high connexions in the diocese.*]

PENCIO PRIORIS PER RESIGNACIONEM ASSIGNATA.

J. etc. Karliolensis episcopus dilecto in Christo filio domino Adam, priori ecclesie nostre cathedralis Beate Marie Karlioli, salutem, graciam et benedictionem. Tranquillitati eorum sollicite insistere ac etiam, prout possumus, prospicere pastorale officium forcius nos astringit, qui, a primevo etatis sue flore jugum sacre observancie regularis spretis mundalibus incessanter portantes, in vinea Domini gregem suum et ecclesiam sibi commissos discrete regendo laudabiliter laborarunt. Sane porrecta tua nobis peticio continebat quod, cum tu jam fere per xl annos ordinem canonici regularis sub doctrina Beati Augustini in venerabili cetu conventus ecclesie nostre cathedralis Karlioli, per xx^ti^ etiam annos et amplius inter sevientes mundi et guerrarum hostiles turbines et procellas prioratus ibidem fungens officio, tot et tantis oneratus laboribus senioque confractus, adeo debilitatus et impotens (ut asseris) es effectus quod hujusmodi officium prioratus tam laboriosum tibique importabile de cetero nullo modo valeas sustinere, tuam cessionem admittere et tibi vite necessaria juxta persone tue condiciones et merita de facultatibus dicti prioratus providere misericorditer curaremus. Verumque etiam, te senescente et diversimode debilitato, fervor devocionis et fidei non tepescit, et ut vite contemplative vacare valeas quiecius, ut affectas, consideratis etiam tua peticione

contentis ac statu dicti prioratus, cujus regimen debitum et prosperum totis viribus cupimus, et pensatis et super hiis deliberacione provida tractatu habito diligenti, ex predictis causis tuis precibus annuentes tuam admittimus cessionem, te a cura et vinculo ipsius prioratus, quibus hactenus tenebaris obnixius auctoritate pontificali, ac cotidianis et minutis observanciis claustralibus penitus absolventes. Porro conversacionem tuam in tam sancta religione absque nota laudabilem a tempore tui ingressus aliaque preclara merita, quibus polles, ac labores innumeros tibique importabiles hiis diebus quos circa regimen spiritualium et temporalium a tempore regiminis dicti prioratus tibi commissi, quibus predicta ecclesia nostra Karlioli ditatur, jugi diligencia impendisti votivis affectibus attendentes, estimatis dicti prioratus facultatibus ad tui et tibi ministrancium sustentacionem quoad vixeris, toto et unanimi consensu capituli nostri Karlioli ordinamus, concedimus, auctoritate ordinaria statuimus, et similiter decernimus in hiis scriptis ut novam cameram, quam fecisti pro te et tibi ministrantibus, habeas et teneas quoad vivas. Habeas etiam singulis diebus et percipias pro te et uno fratre canonico tui ordinis, tecum pro voluntate prioris Karlioli moraturo, corrodia sive liberaciones omnimodas trium canonicorum, juxta consuetudines predicti prioratus, in victualibus cotidianis de communi. Ad hoc quia a magnatibus et personis nobilibus nostre diocesis procreatus et oriundus existis sicque per accessum amicorum tuorum oneraberis, ut frequenter, justum esse reputamus et equum ut de bonis dicti prioratus respiciaris uberius annuatim. Ob quod, ut supra, statuimus ac etiam ordinamus quod tecum habeas unum servientem et unum garcionem tibi servientes, quibus in robis et victualibus cotidianis necessaria de communi juxta status sui exigenciam debite ministrentur. Decimas etiam garbarum de Langwathby, nostre diocesis, quas appropriatas dicto prioratui tui temporibus scimus esse, tuis usibus et tuorum familiarium et amicorum ad te veniencium, propter honestatem tui status et ordinis ac pro vestibus tuo corpori providendis, nomine xx marcarum percipiendas annis singulis auctoritate predicta tuo perpetuo assignamus: hoc adjecto quod, quatenus dicta decima ultra xx marcas pro tempore per visum celerarii dicti prioratus fideliter vendi possit per te vel emptores ejusdem pro voluntate celerarii, pro voluntate dictorum prioris et conventus annis singulis persolvatur. Si vero extra septa monasterii nostri Karlioli, ob aeris intemperiem seu occasione recreacionis habende aut ex alia causa racionabili et honesta, ad aliquam grangiam seu manerium

prefati prioratus aut loca amicorum tuorum, infra tamen nostram diocesim existencia, ire aliqualiter te contingat, volumus, statuimus et ordinamus quod prior Karlioli, qui pro tempore fuerit, tibi et tuis familiaribus, quociens opus fuerit, sub debito obediencie evectiones inveniat. In cujus rei testimonium sigillum nostrum, una cum sigillo capituli nostri Karlioli, presentibus est appensum. Data Karlioli, xiij° kalendas Octobris anno etc. CCC° iiij^to^.

[Fo. 41a.]

[Nether Denton R.—*Collation of Richard Oriol, saving pensions to the Bishop and Lanercost Priory.*]

Institucio Magistri R. in ecclesiam de Denton.[1]

J. etc. dilecto in Christo filio magistro Ricardo Oriol, presbitero, salutem, graciam et benedictionem. Ecclesiam parochialem de Denton, nostre diocesis, vacantem et ad nostram collacionem spectantem, tibi conferimus intuitu caritatis teque rectorem canonice instituimus in eadem, salvis nobis et successoribus nostris xxxiijs. iiijd. annuis ac priori et conventui de Lanercost xxxiijs. iiijd. annuis, consuetis et debitis ab antiquo in eadem, ac nostre Karliolensis ecclesie et nostra in omnibus dignitate. Data apud Rosam, nonis Octobris anno Domini M° CCC° iiij^to^ et pontificatus nostri xiij°.

[Aikton R.—*Thomas de Multon of Gilsland presents William de Somerset to a moiety.*]

Presentacio domini Willelmi de Somerset ad medietatem de Ayketon.

Reverendo in Christo patri ac domino suo, domino J. Dei gracia Karliolensi episcopo, suus humilis et devotus Thomas de Multon de Gillesland, salutem cum reverencia et honore tanto patri debitis. Ad medietatem ecclesie de Ayketon, nostre dyocesis, per mortem magistri Willelmi de Aldewerk vacantem et ad meam presentacionem spectantem, dilectum mihi in Christo dominum Willelmum de Somerset, capellanum, dominacioni vestre tenore presencium presento intuitu caritatis, supplicans humiliter ac devote quatinus eundem dominum ad dictam medietatem admittere velitis et rectorem instituere in eadem. In cujus rei testimonium sigillum meum presentibus est appensum. Data Eboraci, xiiij° kalendas Januarii anno Domini M° CCC° quarto.

---

[1] In margin:—"Nota quod collacio ecclesie de Denton pertinet ad dominum episcopum Karliolensem."

[*On an inquisition being taken it appeared that Richard de Ayketon claimed to be rector of the whole.*]

LITTERA INQUISICIONIS PRO EODEM.

Venerabili in Christo patri domino J. Dei gracia Karliolensi episcopo suus officialis Karlioli, debitam obedienciam et devotam. Mandatum vestrum recepi in hec verba. Johannes miseracione divina Karliolensis episcopus dilecto in Christo filio officiali suo Karlioli, salutem, graciam et benedictionem. Presentavit nobis Thomas de Multon de Gillesland dilectum suum dominum Willelmum de Somerset (ut dicitur), capellanum, ad medietatem ecclesie de Ayketon, nostre dyocesis, vacantem et ad ipsius presentacionem spectantem, ut dicit. Quocirca vobis mandamus quatinus convocatis coram vobis rectoribus, vicariis, ac aliis quorum interest, in pleno loci capitulo diligenter inquiratis si dicta ecclesia vacat, qualiter vacat et a quo tempore vacavit, quantumque valeat, si sit litigiosa vel pensionaria, cui et in quantum, quis verus patronus ejusdem et quis ad eandem tempore pacis ultimo presentavit, de moribus etiam presentati, de litteratura, ordinibus et etate, ac aliis circumstanciis debitis et articulis consuetis. Facta vero inquisicione, eam nobis sigillis eorum per quos facta fuerit consignatam et sub sigillo vestro inclusam maturitate qua convenit transmittatis. Data apud Bolington, x° kalendas Januarii pontificatus nostri anno terciodecimo.

Hujus igitur auctoritate mandati in pleno loci capitulo, vj idus Januarii anno Domini M° CCC° quarto, in ecclesia Sancti Cuthberti celebrato a rectoribus ecclesiarum de Bothecastre, Stapilton, Denton, Castelkayrok, Kirkandres, Bampton, et vicariis ecclesiarum de Arthureth, Stanewegges, Irthington, Brampton, Crosseby, Walton, Burg, Dalston, convocatis super premissis deligencius inquisivi. Qui dicunt quod Thomas de Multon de Gillesland est verus patronus tocius dicte ecclesie, et quod medietas dicte ecclesie vacabat in festo Omnium Sanctorum ultimo preterito per mortem magistri Willelmi de Aldewerk, quondam rectoris medietatis ejusdem, et dicta medietas valet communibus annis novem libras, nec est pensionaria: et quod dominus Willelmus de Furnival presentavit magistrum Willelmum tempore pacis ultimo ad eandem. Dicunt etiam quod, quo ad jus patronatus, non est litigiosa. Set dominus Ricardus de Ayketon comparuit judicialiter et asseruit quod ecclesia non est vacans, set plena, quia ipse Ricardus dicit et asserit se esse rectorem tocius ecclesie et quod antiquitus ibi esse consuevit tantummodo unus rector—et vocabatur unus eorum Fabianus—et sic debet esse de jure communi, quia sectiones sunt

prohibite. Set qualiter dicta ecclesia fuit divisa ignorant. Quo ad presentacionem, dicunt quod est presbiter et quod est aliunde bone conversacionis et honestatis. In cujus rei testimonium presentem inquisicionem sigillis dictorum rectorum et vicariorum signatam, sub sigillo vestre officialitatis inclusam, vestre reverende paternitati transmitto. Data Karlioli, vj idus Januarii anno Domini M° CCC° quarto.

[*Richard de Multon (he is called "de Ayketon" in the preceding entry) resigns.*

RESIGNACIO.

Reverendo patri in Christo, domino J. Dei gracia Karliolensi episcopo, suus devotus clericus Ricardus de Multon, rector medietatis ecclesie de Ayketon, salutem cum omni obediencia, reverencia et honore debitis tanto patri. Licet quorumdam diucius consilio ad consolidacionem et reintegracionem ecclesie de Ayketon, vestre diocesis, in duas partes divise, aliquibus comparibus, contra jura, coram officiali vestro judicialiter instabam et me ad hoc agere effectualiter protestabar, ad id consciencia me cogente, tamen ob reverenciam domini archidiaconi Clivelandie ac domini mei et patroni, Thome de Multon, predicte presentacioni ac omni juri quod habui vel habere potui ad medietatem ecclesie de Ayketon (quam magister Willelmus de Aldewerk, defunctus, tenuit) sicut rector renuncio sponte, absolute et simpliciter in hiis scriptis. In cujus rei testimonium presentibus sigillum meum apposui et sigillum officialitatis Karlioli ad majorem probacionem procuravi apponi. Data Karlioli, iiij^to^ idus Januarii anno Domini M° CCC° quarto.

[Fo. 41b.]

[*Institution of William de Somerset to a moiety.*]

INSTITUCIO EJUSDEM.

J. etc. dilecto sibi in Christo domino Willelmo de Somerset, presbitero, salutem, graciam et benedictionem. Ad medietatem rectorie ecclesie parochialis de Ayketon, nostre dyocesis, vacantem, ad quam per Thomam de Multon de Gillesland, verum patronum ejusdem, nobis legitime presentatus existis, te admittimus teque rectorem instituimus in eadem. Data apud Horncastrum, v^to^ kalendas Februarii anno Domini M° CCC° quarto et pontificatus nostri xiij°.

[*Mandate to the Archdeacon to induct.*]

J. etc. dilecto in Christo filio magistro Petro de Insula, archidiacono suo, vel ipsius locum tenenti, salutem, graciam et benedictionem. Quia dominus Willelmus de Somerset, presbiter, ad

medietatem ecclesie parochialis de Ayketon, nostre dyocesis, vacantem, per Thomam de Multon de Gillesland presentatus existit, vobis mandamus quatinus eundem seu ipsius nomine procuratorem in corporalem possessionem ejusdem medietatis inducatis et inductum legitime defendatis. Data apud Horncastrum, v kalendas Februarii anno Domini CCC° quarto et pontificatus nostri terciodecimo.

[*Writ for the levy of a tallage at Horncastle.*]

Rex dilectis et fidelibus suis, Lamberto de Trikyngham et sociis suis, ad tallagia in civitatibus, burgis et dominicis nostris in comitatu Lincolnie assidenda et levanda assignatis, salutem. Cum celebris memorie dominus H. quondam rex Anglie, pater noster, per cartam suam concessisset bone memorie Waltero, quondam Karliolensi episcopo, quod ipse et successores sui, episcopi ejusdem loci, quandocunque dictus pater noster vel heredes sui dominica sua per Angliam talliaverint, homines suos de manerio et soka de Horncastro, que sunt de antiquo dominico corone Anglie, possent talliare, vobis mandamus quod venerabilem patrem J., nunc episcopum loci predicti, homines suos de manerio et soka predictis talliare permittatis juxta concessionem predictam: vos de tallagio ibidem assidendo et levando nullatenus intromittentes. Teste meipso apud Westmonasterium, xxj die Aprilis anno regni nostri xxxiij°.

[*Ordination in the Bishop's chapel at London, March 13, 1304-5.*]

CELEBRACIO ORDINUM DOMINI J. DEI GRACIA KARLEOLENSIS EPISCOPI IN CAPELLA SUA, LONDONIIS, EX COMMISSIONE ET LICENCIA VICARII GENERALIS DOMINI R. LONDONIENSIS ELECTI CONFIRMATI, IPSO IN REMOTIS AGENTE, DIE SABBATI QUATUOR TEMPORUM IN PRIMA EBDOMADA QUADRAGESIME ANNO DOMINI M° CCC^mo^ QUARTO ET PONTIFICATUS SUI TERCIODECIMO.

ACOLITI.

Magister Ricardus de Baudak, rector ecclesie de Thorleye, Londoniensis diocesis, ex dimissoriis vicarii generalis etc.

Johannes Houel, ejusdem diocesis, per dimissorias dicti vicarii.

Walterus dictus Golding, ejusdem diocesis, per dimissorias dicti vicarii.

SUBDIACONI.

Magister Johannes Franceys, rector ecclesie de Qweldrig, Eboracensis diocesis, per dimissorias decani et capituli Eboraci, sede vacante.

Dominus Willelmus de Seleby, rector ecclesie de Kirkeby Ravenswath, Eboracensis diocesis, per dimissorias dictorum decani et capituli.

[Fo. 42a.]

[*Ordination in St. Paul's Cathedral, April 3, 1305.*]

CELEBRACIO ORDINUM DOMINI JOHANNIS DEI GRACIA KARLEOLENSIS EPISCOPI IN ECCLESIA CATHEDRALI BEATI PAULI LONDONIARUM, EX COMMISSIONE ET LICENCIA VICARII GENERALIS DOMINI LONDONIENSIS ELECTI CONFIRMATI, IPSO IN REMOTIS AGENTE, DIE SABBATI QUA CANTATUR "SICIENTES" MENSE APRILIS ANNO DOMINI M° CCC^mo QUINTO ET PONTIFICATUS SUI TERCIODECIMO.

ACOLITI.

Robertus de Elleton, Eboracensis diocesis, per dimissorias decani et capituli Eboraci, sede vacante.

Ricardus de Birland, per dimissorias domini Batoniensis episcopi.

Johannes de Lenton, de Wodeford, per dimissorias domini Lincolniensis.

Henricus de Burgh subtus Staynmor, Karleolensis diocesis.

SUBDIACONI.

Magister Ricardus de Clare, rector ecclesie de Hawyk, Glasguensis diocesis.

Dominus Nicholaus de Blida, rector ecclesie Sancti Sauntani, Sodorensis diocesis.

Ricardus Trenchefeul, rector ecclesie de Funtel Episcopi, Sarisburiensis diocesis, per dimissorias domini Sarisburiensis.

Dominus Ricardus de Burton, rector ecclesie de Felton, Conventrensis et Lichfeldensis diocesis, per dimissorias Conventrensis et Lichfeldensis episcopi.

Dominus Robertus Curteys, rector ecclesie Sancte Trinitatis de Guldeford, Wyntoniensis diocesis, per dimissorias domini Wyntoniensis electi et confirmati.

DIACONI.

Dominus Robertus de London, rector ecclesie de Carlaton, Karleolensis diocesis.

Dominus Petrus de Askarn, ad titulum v marcarum sibi per magistrum et fratres capelle Sancti Nicholai de Gressenhal, Norwycensis diocesis, concessarum: per litteras dimissorias domini Eboracensis.

Symon de Chilton, ad titulum sufficientem domus ecclesie monialium de Davyngton, Cantuariensis diocesis: per dimissorias domini Cantuariensis.

Dominus Robertus de Notingham, rector ecclesie de Bradele, Conventrensis et Lichfeldensis diocesis, per dimissorias Conventrensis et Lichfeldensis episcopi.

Dominus Robertus de Chishull, rector ecclesie de Bertomleye, per dimissorias Conventrensis et Lichfeldensis.

PRESBITERI.

Dominus Robertus de Halouton, rector ecclesie de Musegrave, Karleolensis diocesis.

Dominus Johannes de Appelby.

Dominus Willelmus de Morton, rector ecclesie de Hulm juxta Mare, Norwycensis diocesis, per dimissorias domini Norwicensis.

Dominus Gilbertus de Wenden, rector ecclesie de Buthorp, Norwycensis diocesis, per dimissorias domini Norwycensis.

Dominus Johannes de Kirkebithor, ad titulum v marcarum sibi per cartam Johannis de Broy concessarum.

[*Ordination at the parish church of "Hammes", London, April 17, 1305.*]

CELEBRACIO ORDINUM EJUSDEM IN VIGILIA PASCHE PROXIMO SEQUENTI IN ECCLESIA PAROCHIALI DE HAMMES, LONDONIIS.

SUBDIACONUS.

Gilbertus de Haloughton, rector ecclesie de Ulvysby, Karliolensis diocesis.

PRESBITER.

Magister Gilbertus de Middelton.

[Fo. 42b.]

[ULDALE R.—*There being two presentations to this church, one by David de Bryghin, a Scotsman, and the other by Thomas de Lucy, an inquisition was taken in the parish church of Wigton, and a return made thereupon.*]

Presentavit nobis dominus David de Bryghin, miles, dilectum sibi in Christo Hugonem de Rovecestre, clericum, ad ecclesiam de Ulvedal vacantem, iiij° nonas Junii anno Domini M° CCC° quinto, ad suam presentacionem spectantem, ut dicit.

Presentavit nobis etiam Thomas de Lucy dominum David de Cringeldik, capellanum, ad eandem ecclesiam, primo die Julii anno Domini supradicto, ad suam presentacionem spectantem, ut dicit. Et concessa fuit utrique littera inquisicionis.

Facta igitur inquisicione, jurati dicunt quod dicta ecclesia vacat, et vacavit a festo Sancti Dunstani ultimo preterito per mortem quondam domini Roberti de Depyng, rectoris ejusdem ecclesie. Et dicunt quod dominus Alexander de Bonkhill dictum dominum Robertum ad dictam ecclesiam ultimo presentavit. Valet etiam communibus annis xviij libras per annum. Dicunt etiam quod dictus dominus Alexander habuit quandam filiam, Margaretam nomine, que modo est mortua; et, patre dicte Margarete superstite, maritata fuit quondam domino Johanni, fratri senescalli Scocie, cum qua liberos habuit, ut dicitur. Et sic videtur eis quod filius primogenitus dictorum Johannis et Margarete de jure debet esse verus patronus ejusdem. Set litigiosa est, pro eo quod Thomas de Lucy presentavit dominum David capellanum, virum satis notum, honestum et morigeratum, ad ecclesiam antedictam: qui quidem presentatus asserit jus presentandi ista vice ad dominum Thomam pertinere, pro eo quod manerium de Ulvedal est in manu sua racione mortis predicte Margarete, filie et heredis dicti Alexandri, qui tenuit dictum manerium cum pertinenciis de predicto Thoma de Lucy per servicium cornagii, quod dat custodiam et relevium; et quod dominus David de Breghyn, qui dictum Hugonem ad dictam ecclesiam nunc presentat, nunquam in facie ecclesie dictam Margaretam duxit in uxorem. Dictus vero Hugo similiter in judicio asserendo proposuit quod dictus dominus David de Breghyn est patronus ejusdem, et debet presentare ad eandem de jure et consuetudine Anglicana, pro eo quod dictam dominam Margaretam duxit in uxorem et constante matrimonio, ut asseritur, ab ea liberos procreavit. Ad cujus evidenciam quasdam litteras et transcripta dominorum episcoporum Sancti Andree, Dunkeldensis, et Brekynensis, ac archidiaconi Sancti Andree et officialis Brekynensis, ac transcriptum cujusdam bulle, impetrate a bone memorie Benedicto papa ultimo, sub sigillis archidiaconi Sancti Andree et officialis Brekynensis, presentatus dicti domini David in judicio exhibuit et porrexit: per quas apparet quod, non obstante affinitate et consanguinitate que fuerunt inter dictum dominum David et Margaretam, idem papa Benedictus dispensavit secum quod simul matrimonialiter possent stare. De condicionibus dicti Hugonis, quoad natalia, nichil sciunt: et quod est acolitus, et aliunde bene morigeratus, ut credunt. Alia dictam inquisicionem

contingencia vestre reverende paternitati relinquuntur. In cujus rei testimonium presentem inquisicionem, sigillis dictorum rectorum et vicariorum consignatam et sub sigillo officialitatis Karlioli, transmisit officialis Karlioli domino Karliolensi episcopo. Et facta fuit ista inquisicio in ecclesia parochiali de Wygeton in capitulo decanatus Allerdalie, x° kalendas Augusti anno Domini supradicto.

[*A second inquisition in the same church on another presentation being made by Thomas de Lucy.*]

Memorandum quod in crastino Sancti Michaelis archangeli anno Domini M° CCC^mo^ quinto porrexit dominus Adam de Eglesfeld, clericus, litteras infrascriptas domino Johanni Karliolensi episcopo, tunc Londoniis existenti, sub hac forma. Reverendo in Christo patri ac domino suo, domino J. Dei gracia Karliolensi episcopo, suus officialis Karlioli, debitam obedienciam cum honore. Mandatum vestrum nuper in hec verba recepi. Johannes miseracione divina Karliolensis episcopus dilecto in Christo filio officiali suo Karlioli, salutem, graciam et benedictionem. Presentavit nobis Thomas de Lucy dilectum suum Adam de Eglesfeld, clericum, ad ecclesiam de Ulvedal, nostre diocesis, vacantem et ad ipsius presentacionem spectantem, ut dicit. Quocirca vobis mandamus quatinus, convocatis coram vobis rectoribus, vicariis, ac aliis quorum interest, die et loco quibus videritis expedire, diligenter inquiratis si dicta ecclesia vacet, qualiter vacat, a quo tempore vacavit, quis sit verus patronus ejusdem et quis ad eandem tempore pacis ultimo presentavit, quantumque valeat, si sit litigiosa vel pensionaria, cui et in quantum, de moribus etiam presentati, litteratura, ordinibus et etate ac aliis circumstanciis debitis et articulis consuetis. Facta vero inquisicione, eam nobis, sigillis eorum per quos facta fuerit signatam et sub sigillo vestro inclusam, maturitate qua convenit transmittatis. Data apud Lichfeldiam, viij° idus Septembris pontificatus nostri anno terciodecimo.

Hujus igitur auctoritate mandati, convocatis rectoribus ecclesiarum de Plumland, Bolton, et de Kirkebrid, necnon vicariis ecclesiarum de Crostwayt, Issal, Torpenhou, Derham, Aspatrik, Bromfeld, et de Gillecrouce in ecclesia parochiali de Wygeton die Sabbati proxima post festum Exaltacionis Sancte Crucis ultimo preteritum super premissis in vestro mandato contentis diligencius inquisivi. Qui dicunt quod dicta ecclesia vacat et vacavit a festo Sancti Dunstani episcopi ultimo preterito per mortem quondam domini Roberti de Deping, rectoris ecclesie ejusdem ; et dicunt

quod dominus Alexander de Bonkhill dictum dominum Robertum ad dictam ecclesiam ultimo presentavit, et quod idem dominus Alexander fuit verus patronus ejusdem ecclesie, dum
[Fo. 43a.] vixit. Valet etiam communibus annis xviij libras per annum. Dicunt etiam quod dictus dominus Alexander habuit quandam filiam, Margaretam nomine, que modo est mortua ; et, patre dicte Margarete superstite, maritata fuit eadem Margareta quondam domino Johanni, fratri senescalli Scocie, cum qua liberos habuit, ut dicitur. Et sic dicunt quod filius primogenitus dictorum Johannis et Margarete de jure debet esse verus patronus ejusdem. Et dicunt quod filius et heres quondam dicte Margarete est minoris etatis. Dicunt etiam quod manerium de Ulvedal cum pertinenciis tenetur in capite de dicto Thoma de Lucy per servicium [cornagii], quod dat custodiam et relevium, et racione minoris etatis dicti heredis dictum manerium est in manu dicti Thome, et ea racione ad prefatam ecclesiam nunc presentat dominum Adam, suum clericum antedictum. Set dicunt quod litigiosa est pro eo quod dominus David de Breykyn Hugonem de Rovecestre, clericum, vobis presentavit alias ad eandem : pro eo quod duxit dictam dominam Margaretam legitime in uxorem, ut dicit suus presentatus, et ab ea liberos suscitavit, ut dicit. Ad cujus evidenciam exhibuit alias transcripta quarumdam litterarum sub sigillis episcoporum Sancti Andree, Dunkeldensis, et Brekenensis ac archidiaconi Sancti Andree et officialis Brekenensis, de quibus in inquisicione super vacacione dicte ecclesie et presentacione ad eandem per dictum dominum David de dicto Hugone, nuper missa, mencio fit expressa. Dicunt etiam quod dominus Adam de Eglesfeld, nunc presentatus, est liber et legitimus, bone conversacionis et honeste, et in subdiaconum ordinatus, et alibi in diocesi Wyntonie beneficiatus existit. Die vero inquisicionis hujus facte comparuit dictus Hugo, presentatus prefati domini David, et exhibuit duas litteras patentes dominorum episcoporum Brekenensis et Dunkeldensis sigillis signatas, per quas idem presentatus nititur asserere quod matrimonium fuit inter dictos dominum David et Margaretam contractum et quod, non obstantibus impedimentis consanguinitatis et affinitatis inter eosdem, secum fuit per sedem apostolicam dispensatum : quarum discussio vestro arbitrio relinquitur, ut est justum. In cujus rei testimonium presentem inquisicionem, dictorum rectorum et vicariorum sigillis consignatam, sub sigillo officialitatis vestre dominacioni reverende transmitto inclusam. Acta in ecclesia parochiali de Wygeton, die et anno Domini supradictis.

[*Bishop Halton urges the Pope to canonize Bishop Thomas de Cantelupe.*]

Sanctissimo patri ac domino reverentissimo, Dei gracia sacrosancte universalis ecclesie summo pontifici, J. ejusdem Dei permissione humilis minister Karliolensis ecclesie, cum debitis honore et reverencia pedum oscula beatorum. Optinet Herfordiensis ecclesia unde letari debeat et gracias referre dignissimas tocius gracie Largitori: ab ipsa jubar egrediens totum regnum illuminat et miri luminis fulgore illustrat. In ea siquidem pie recordacionis domini Thome, quondam ejusdem loci episcopi, quiescunt reliquie, qui in celesti rosario flos fragrans inseritur et sanctorum collegio novus collega adjungitur, ut speratur; cujus mors quam sit in conspectu Altissimi preciosa, frequencia miraculorum tam merita vivi quam premia defuncti preconizancium, populis ad ipsius tumulum undique confluentibus, publice manifestat. Cum igitur tanti patris memoria negligencie tumulo sepelienda non fuerit, sancte paternitati vestre supplico reverenter quatinus, cum de hiis vobis canonice constiterit, predictum patrem sanctorum cathalogo, sicut honori Dei et ecclesie expedire videritis, jubeatis ascribi; digne etenim verti debet in memoriam hominum qui ad consorcium migrasse creditur angelorum. Valeat piissima vestra paternitas per tempora prospera et longeva. Data apud Bosebyri, vj idus Septembris anno Domini etc. CCC^mo^ quinto.

[Brough-under-Stainmore R.—*Presentation of Hugh de Burg by the King.*]

PRESENTACIO AD ECCLESIAM DE BURGO PER REGEM.

Rex episcopo Karlioli, salutem. Ad ecclesiam de Burgo subtus Staynemoram, vestre diocesis, vacantem per resignacionem venerabilis patris Johannis de Langeton, Cicestrensis electi confirmati, nuper persone ejusdem ecclesie, et ad vestram donacionem spectantem, dilectum clericum nostrum Hugonem de Burgo vobis presentamus intuitu caritatis: rogantes quatinus ipsum Hugonem ad ecclesiam illam admittatis et personam instituatis in eadem. In cujus rei testimonium has litteras nostras fieri fecimus patentes. Teste meipso apud Lanfare, quarto die Septembris anno regni nostri xxxiij°. Per breve de privato sigillo.

[Fo. 43b.]

[*Presentation of William de Corby by Robert de Clifford.*]

PRESENTACIO AD ECCLESIAM DE BURGO PER CLIFFORD.

Memorandum quod die Jovis in crastino Sancti Michaelis anno Domini M° CCC° quinto porrecta fuit hec presentacio domino J. Karliolensi episcopo sub hac forma. Venerabili in Christo patri

domino J. Dei gracia Karliolensi episcopo suus Robertus de Clifford, miles, salutem cum omni reverencia et honore. Ad ecclesiam de Burgo subtus Staynemoram, vestre diocesis, vacantem et ad meam presentacionem spectantem, dilectum mihi in Christo Willelmum de Corby, clericum, vestre paternitati presento intuitu caritatis: supplicans affectuose quatinus eundem W. ad ecclesiam illam admittere et personam instituere velitis in eadem. In cujus rei testimonium has litteras, sigillo meo signatas, vobis mitto patentes. Data Londoniis, xx die Septembris anno Domini M° CCC^mo quinto.

[*Inquisition in the church of St. Lawrence, Appleby.*]

INQUISICIO PRO HUGONE DE BURGO PRESENTATO PER REGEM.

Reverendo in Christo patri domino J. Dei gracia Karliolensi episcopo suus officialis Karlioli, debitam obedienciam cum honore. Mandatum vestrum nuper in hec verba recepi. J. miseracione divina Karliolensis episcopus officiali suo Karlioli, salutem, graciam et benedictionem. Presentavit nobis dominus noster dominus E., rex Anglie illustris, dilectum clericum suum Hugonem de Burgo ad ecclesiam de Burgo subtus Staynmoram, nostre diocesis, per resignacionem domini J. Cicestrensis electi et confirmati, nuper rectoris ejusdem, vacantem et ad ipsius presentacionem spectantem, ut dicit. Quocirca vobis mandamus quatinus, convocatis coram vobis rectoribus, vicariis, ac aliis quorum interest, die et loco quibus videritis expedire, cicius quo poteritis, non exspectato loci capitulo, diligenter inquiratis quis sit verus patronus ejusdem et quis ad eandem tempore pacis ultimo presentavit, quantumque valeat, si sit litigiosa seu pensionaria, cui et in quantum, et de aliis circumstanciis et articulis consuetis. Facta vero inquisicione, eam nobis, sigillis eorum per quos facta fuerit consignatam et sub sigillo vestro inclusam, maturitate qua convenit transmittatis. Data Wygornie, vj° idus Septembris pontificatus nostri anno xiiij^mo.

Hujus igitur auctoritate mandati, convocatis rectoribus ecclesiarum de Warthecopp, Askeby, Louther, Crossebygerard, Neubigging, et de Cliburn, necnon vicariis ecclesiarum de Morlund, Kirkebystephan, Sancti Michaelis de Appelby, Sancti Laurencii de Appelby, Overton, Askom, Hepp, et de Bampton, in ecclesia Sancti Laurencii de Appelby in crastino Sancti Mathei apostoli et evangeliste ultimo preterito, super premissis in vestro mandato contentis diligenter inquisivi. Qui dicunt quod dicta ecclesia vacat, et vacavit per resignacionem nunc domini episcopi Cicestrensis a die Nativitatis Beate Marie virginis ultimo preterito, et quod dominus rex ultimo presentavit dictum dominum Johannem ad eandem

tempore pacis, et sic est in possessione presentandi. Dicunt etiam quod pensionaria est domino Karliolensi episcopo in xx solidis annuis, et valet communibus annis xxx libras. De jure patronatus, ad quem spectat dubitant, pro eo quod Adam de Ulvesby, senescallus vester, comparuit in inquisicione facienda et porrexit in medio quandam cartam abbatis et conventus Beate Marie Eboraci, que testatur quod dicti abbas et conventus patronatum dicte ecclesie bone memorie domino Silvestro, episcopo Karlioli, et suis successoribus concesserunt. Comparuit etiam Nicholaus de Grendon, ballivus domini Roberti de Clifford, militis, et verbaliter proposuit nomine dicti domini sui quod idem dominus suus est verus patronus ejusdem pro eo quod dominus Johannes rex dedit progenitoribus dicti domini Roberti manerium de Burgo cum appendiciis. Alio modo non est litigiosa. Dicunt etiam quod presentatus est liber et legitimus, bone conversacionis et honeste, et in minoribus ordinibus, ut dicitur, constitutus, nec est alibi beneficiatus. In cujus rei testimonium presentem inquisicionem, sigillis dictorum rectorum et vicariorum signatam, vestre reverende dominacioni sub sigillo officialitatis vestre transmitto inclusam. Data et acta die et loco supradictis et anno Domini M° CCC° quinto.

[*Institution of Hugh de Burg.*]

Memorandum quod viij° idus Octobris anno Domini M° CCC^mo^ quinto fuit Hugo de Burgo, acolitus, institutus in ecclesia parochiali de Burgo sub Staynemoram, salva pensione xx solidorum debita domino episcopo Karlioli et consueta.

[Fo. 44a.]

[Skelton R.—*Presentation of Nicholas de Kirkebrid.*]

PRESENTACIO AD ECCLESIAM DE SKELTON.

Memorandum quod dominus Ricardus de Kirkebrid, Robertus Tylloilf, milites, Christoforus de Seton, Walterus de Corry, Adam de Twynham, Gilbertus de Sothayk, Patricius Trompe, et Matildis de Carrigg presentarunt dominum Nicholaum de Kirkebrid, capellanum, variis suis litteris presentatoriis ad ecclesiam de Skelton, Karliolensis diocesis, per mortem magistri Ade de Levington, nuper rectoris ejusdem, vacantem et ad suam presentacionem spectantem, ut dicunt.

[*The church is litigious so far as Robert Tylloilf's claim to present is concerned.*]

INQUISICIO.

Reverendo in Christo patri domino J. Dei gracia Karliolensi episcopo suus officialis, debitam obedienciam cum honore. Litteras

vestras nuper in hec verba recepi. Johannes miseracione divina etc. dilecto in Christo filio officiali suo Karlioli, salutem, etc. Presentarunt nobis domini Ricardus de Kirkebrid, Robertus Tylloilf, milites, Christoforus de Seton, Walterus de Corry, Adam de Twynham, Gilbertus de Sothayk, Patricius Trompe, et Matildis de Carrigg variis suis litteris presentatoriis dilectum suum Nicholaum de Kirkebrid, capellanum, ad ecclesiam de Skelton, nostre diocesis, vacantem et ad suam presentacionem spectantem, ut dicunt. Quocirca vobis mandamus quatinus, convocatis coram vobis rectoribus, vicariis, ac aliis quorum interest, hac instanti die Veneris proxima post festum Sancti Andree apostoli in ecclesia parochiali de Penryth, diligenter inquiratis si dicta ecclesia vacet, qualiter vacat, a quo tempore vacavit, quis est verus patronus ejusdem, et quis ad eandem tempore pacis ultimo presentavit, quantumque valeat, si sit litigiosa seu pensionaria, cui et in quantum, de moribus etiam presentati et aliis circumstanciis debitis et articulis consuetis. Facta vero inquisicione, eam nobis, sigillis eorum per quos facta fuerit consignatam et sub sigillo vestro inclusam, maturitate qua convenit transmittatis. Data apud Louthre, iiij° nonas Decembris anno pontificatus nostri xiiij^mo.

Hujus igitur auctoritate mandati per rectores ecclesiarum de Melmorby, Crogelyn, et Hoton, et vicarios ecclesiarum de Penryth, Edenhal, Laysingby, et Aynstaplith, et presbiteros parochiales de Graystok, Penryth, Salkeld, Kirkeoswald, et Adyngham, super contentis in dicto mandato vestro diligenter inquisivi. Qui dicunt quod dicta ecclesia vacat et vacavit a die Mercurii proxima ante festum Sancti Martini ultimo preteritum per mortem magistri Adam, quondam rectoris ejusdem. Dicunt etiam quod domina Helwysia, filia et heres quondam domini Radulphi de Levington, veri patroni dicte ecclesie, prefatum magistrum Adam ad eandem ultimo presentavit. Dicunt etiam quod dominus Ricardus de Kirkebrid, Adam de Twynham, Gilbertus de Sothayk, Walterus de Corry, Matildis de Carrigg, et Patricius filius Patricii Trompe sunt heredes dicte Helwysie et fuerunt et sunt veri patroni illius ecclesie jure hereditario. Christoforus vero de Seton est unus de patronis ejusdem racione terrarum quas habet in manerio de Skelton de dono quondam Willelmi Lochard, qui fuit unus de heredibus dicte Helwysie. Comparuit etiam in ecclesia de Penryth dicto die Veneris coram me et aliis ibi presentibus dominus Robertus de Tylloilf personaliter asserens se esse unum de patronis dicte ecclesie et habere totum jus quod Patricius Trompe, unus de heredibus dicte Helwysie, habuit vel habere potuit quoquomodo,

ex dono et concessione dicti Patricii per cartam suam ibi exhibitam coram me in medio, que hoc testatur. Et sic quoad hoc est litigiosa; non est pensionaria; valet communibus annis triginta libras. Dicunt etiam quod presentatus presbiter est, liber, legitimus, et bone conversacionis et honeste. In quorum omnium testimonium presentem inquisicionem, sigillis dictorum rectorum, vicariorum et presbiterorum signatam et sub sigillo vestre officialitatis inclusam, vestre reverende dominacioni transmitto. Data et acta in predicta parochiali ecclesia de Penryth.

[*Institution of Nicholas de Kirkebrid.*]

J. etc. domino Nicholao de Kirkebrid, presbitero, salutem, graciam et benedictionem. Ad ecclesiam de Skelton, nostre diocesis, per mortem magistri Ade de Levington, nuper rectoris ejusdem, vacantem, ad quam per dominum Ricardum de Kirkebrid, militem, Christoforum de Seton, Adam de Twynham, Gilbertum de Sothayk, Walterum de Corry, Patricium Tromp, et Matildem de Carrigg, veros patronos ejusdem, variis suis litteris presentatoriis nobis presentatus existis, te admittimus teque rectorem instituimus canonice in eadem, salva nobis et nostre Karleolensi ecclesie in omnibus dignitate. Data apud Barton, iij nonas Decembris anno Domini M° CCC^mo^ quinto et pontificatus nostri quartodecimo.

[Fo. 44b.]

[*Commission to the Rector of Hutton in the Forest and the Vicar of Penrith to denounce as excommunicate a certain Roger Durant for wounding a subdeacon, unless he seek absolution at Rome.*]

J. etc. episcopus etc. dilectis in Christo rectori ecclesie de Hoton et vicario de Penreth, salutem, graciam et benedictionem. Ecclesie Dei et papalis scandalum, delicti notorietas delinquentisque nephanda obstinacio nos compellit ut quem timor Dei a malo non revocat, ecclesiastice discipline severitas acerbius reprimat et castiget. Cum igitur Rogerus Durant quemdam subdiaconum graviter vulneravit idemque R., super hoc convictus, sedem apostolicam adire hactenus non curavit, absolucionis beneficium recepturus, prout sibi injunctum fuerat judicialiter (ut decebat), vobis et cuilibet vestrum committimus et mandamus quatinus dictum R. ad ipsius maliciam reprimendam moneatis, et quilibet vestrum moneat, quod, infra xv dies a data presencium pro hujusmodi absolucione habenda, versus dictam curiam arripiat iter suum. Alioquin ipsum ex tunc, de die in diem, publice et solempniter excommunicatum intra missarum solempnia nuncietis, premunientes omnes parochianos vestros et inhibentes eisdem ne secum communicent, nisi in casibus a jure permissis: denunciantes eidem

quod, nisi fecerit humiliter quod mandamus, brachium seculare ex tunc invocabimus contra eum. Data apud Linstok, xviij^mo^ kalendas Decembris anno pontificatus nostri quintodecimo.

[*Mandate to the parish priest of Ousby concerning a penalty imposed on his parishioners.*]

Episcopus etc. dilecto in Christo filio, presbitero parochiali ecclesie de Ulvisby, salutem etc. Vobis sub debito obediencie committimus et mandamus quatinus parochianos vestros omnes et singulos moneatis et efficaciter inducatis quod nobis de xl solidis ob defectus ipsos contigentes, in nostra visitacione repertos et infra terminum eis prefixum minime emendatos, nomine pene impositis et commissis citra instans festum Sancte Lucie virginis satisfacere non omittant. Alioquin ex tunc xij de melioribus dicte parochie ab ingressu ecclesie suspendatis et majoris excommunicacionis sentencia percellatis, si eorum rebellio hoc exposcat, quousque nobis de dicta pecunia satisfecerint, ut tenentur. Et quid feceritis in premissis nos citra instans festum Natalis Domini distincte et aperte certificare curetis per litteras vestras patentes, harum seriem continentes. Data apud Linstok, xviij kalendas Decembris pontificatus nostri anno quintodecimo.

[*The Bishop asks Peter de Galicia to intercede with the Pope for the appropriation of the church of Horncastle to the see of Carlisle. See Raine's "Letters and Papers", p. 284n.*]

Reverende discrecionis viro et amico suo expertissimo domino Petro de Galicia, rectori ecclesie de Horncastro, Johannes miseracione divina Karliolensis episcopus, salutem et sincere dilectionis continuum incrementum. De honoribus nobis hactenus vestri gracia impensis et, si libeat, in futurum impendendis vobis regraciamur puro corde. Set ecce! karissime, quod statum nostrum, tum propter guerram Scocie, tum propter alia, depredaciones et depauperaciones quam plurimas, minime sustinere valemus, vestram preexpertam benivolenciam specialiter requirimus quatinus pro dicto statu nostro sublevando erga sanctissimum papam, patrem nostrum, viriliter instare curetis, prout alias inter nos extitit condictum, ut ecclesia de Horncastro nobis et ecclesie Karliolensi, vestro mediante presidio, approprietur, et pensionem congruam pro tempore vestro inde vobis persolvendam, prout rite ordinare volueritis, leta mente persolvemus, una cum omnibus sumptibus quos circa dictum negocium nostrum duxeritis impendendum. Diu et feliciter in Domino valeatis per tempora prospera et jocunda.

Data apud Horncastrum, xij kalendas Decembris anno Domini M° CCC^mo terciodecimo.

[*The Bishop asks the King to excuse his attendance at the coming Parliament on account of the anxieties of the border warfare, and to allow him to send proctors in his stead. See Raine's "Letters and Papers", p. 219.*]

Excellentissimo principi et domino suo, domino E. Dei gracia regi Anglie illustri, suus capellanus humilis et devotus Johannes, miseracione ejusdem Karliolensis episcopus, salutem in Eo cui servire perhenniter est regnare. Variis negociis et arduis statum nostrum et ecclesiam nostram Karliolensem ac marchiam adjacentem tangentibus multipliciter prepediti, et eo amplius quo rabies inimicorum nostrorum Scocie crudelissima in nostris partibus in dies invalescit, quominus hac instanti die Dominica in quindena Pasche in parliamento vestro apud Westmonasterium valemus personaliter interesse, vestram regalem celsitudinem humiliter duximus exorandum quatinus absenciam nostram hac vice dignemini habere excusatam ; et, ut voluntati vestre pocius pareamus, dilectos nobis in Christo dominum W. de Ayreminne, rectorem ecclesie de Levington, et dominum Hugonem de Burg, rectorem ecclesie de Burg sub Mora, nostre diocesis, procuratores nostros ad comparendum pro nobis et nostro nomine in dicto parliamento ordinamus, facimus et constituimus per presentes : dantes eisdem plenam et liberam potestatem ac speciale mandatum ad tractandum, faciendum et consenciendum omnibus et singulis que tunc de communi consilio super negociis statum regni tangentibus in prefato parliamento (favente Domino) contigerit ordinari, ratum et gratum habituri quicquid idem procuratores nostro nomine faciendum duxerint in premissis. In cujus rei testimonium etc. Data Karlioli, ij nonas Aprilis anno Domini M° CCC^mo quartodecimo.

Fo. 45a.]

[*Ordination at Kirkoswald, Dec. 18, 1305.*]

CELEBRACIO ORDINUM DOMINI JOHANNIS DEI GRACIA KARLEOLENSIS EPISCOPI IN ECCLESIA PAROCHIALI DE KIRKOSWALD, KARLEOLENSIS DIOCESIS, DIE SABBATI QUATUOR TEMPORUM MENSE DECEMBRIS ANNO DOMINI M° CCC^mo QUINTO ET PONTIFICATUS SUI XIIIJ^mo.

ACOLITI.

Frater Johannes de Ireby, de ordine Predicatorum.
Frater Thomas de Wyrkinton, }
Frater Gilbertus de Haverinton, } monachi de Holm.

Henricus filius Johannis de Neuton.
Gilbertus de Askeby.
Petrus de Crossebyravenswath.
Johannes de Kirkebithor.
Thomas Corour, de Appelby.
Willelmus Kempe, de Appelby.
Willelmus Garran, de Appelby.
Willelmus de Cotum,
Willelmus de Monkegate,
Johannes de Spineta,
} per dimissorias capituli Eboraci.
Magister Johannes de Luton, per dimissorias capituli Eboraci.
Frater Willelmus de Hupsal, monachus Furnesii.
Willelmus de Sourby.
Willelmus Argent, de Kirkoswald.

SUBDIACONI.

Frater Gilbertus de Linkefeld,[1]
Frater Johannes de Karleolo,
Frater Rogerus Paul,
Frater Johannes de Cokermue,
} canonici Karleoli.
Magister Geunta, rector ecclesie de Manfeld, Eboracensis diocesis, per dimissorias capituli Eboraci, sede vacante.
Dominus Hugo, rector ecclesie de Burg subtus Staynemor.
Hugo de Blida,
Ricardus de Fenton,
Hugo le Boutonier,[2]
Willelmus de Grimeston,
} per dimissorias capituli Eboraci.
Frater Willelmus de Keldesik,
Frater Thomas del Gyl,
Frater Henricus de Karleolo,
Frater Thomas de Wyrkinton,
Frater Gilbertus de Haverinton,
} monachi de Holm.
Willelmus de Blencogou, ad titulum quinque marcarum sibi per cartam domini Thome de Neuton, militis, concessarum: in judicio exhibitam et probatam.
Thomas Hog, de Karleolo, ad presentacionem dominorum prioris et conventus Beate Marie Karleoli.
Walterus de Angram, per dimissorias capituli Eboraci.
Thomas de Burton, canonicus de Hepp.

[1] A line is drawn through this name in the MS.
[2] Substituted in the MS. for "Buteiller."

Laurencius de Redmer, canonicus de Coverham, per dimissorias capituli Eboraci.

Frater Johannes de Ireby, de ordine Predicatorum.

Frater Thomas de Correby,
Frater Willelmus Binigton,
Frater Willelmus de Hupsal,
} monachi Furnesii.

Symon de Caldcotes, ad titulum xl solidorum sibi per cartam Johannis de Berewys concessorum : in judicio exhibitam et probatam.

DIACONI.

Symon de Melmoreby, ad titulum v marcarum sibi per cartam Walteri, patris sui, concessarum : presentis et concedentis.

Johannes de Dolfinby, ad titulum xl solidorum sibi per cartam Ricardi de Langwathby concessorum : alias in judicio exhibitam et probatam.

Johannes de Leycestre, ad titulum centum solidorum sibi per cartam domini Johannis de Lindesaye, militis, concessorum : per dimissorias domini Lincolniensis.

Radulphus de Bridekirk, ad titulum xl solidorum sibi per cartam Thome de Redman concessorum : alias in judicio exhibitam et probatam.

Frater Johannes de Hackenesse,
Frater Johannes de Beningburg,
Frater Robertus de Loncastre,
} de ordine Predicatorum.

Magister Alanus de Bolton, rector ecclesie de Ellewyk, Dunelmensis diocesis, per dimissorias domini Dunelmensis.

Dominus Thomas de Cumbe, rector ecclesie de Abboteston, Wyntoniensis diocesis, per dimissorias domini Wyntoniensis.

Willelmus de Wylton, ad titulum v bovatarum terre in villa de Lokinton, per dimissorias capituli Eboraci hoc testantes.

Johannes de Edeston,
Ricardus de Fangfosse,
Robertus de Monkegat,
Johannes de Wykam,
} per dimissorias capituli Eboraci.

Stephanus de Dunsford, ad titulum abbatis de Gervaus, per dimissorias capituli Eboraci hoc testantes.

Frater Thomas de Crachal, canonicus de Coverham, per dimissorias capituli Eboraci.

Frater Nicholaus de Bitham,
Frater Gilbertus de Denton,
Frater Mauricius de Mann,
Frater Galfridus de Obthorp,
Frater Rogerus de Rotheclyf,
Frater Robertus de Bytham,
Frater Johannes de Toppecliff,
Frater Johannes de Forest,
} monachi Furnesii.

Johannes de Scaleby, ad titulum quinque marcarum sibi per cartam Henrici de Malton concessarum : alias in judicio exhibitam et probatam.

PRESBITERI.

Frater Willelmus de Hurthewrth,
Frater Galfridus de Gorton,
} canonici Karleoli.

Ricardus de Caldecotes, ad titulum v marcarum sibi per cartam Johannis filii Ricardi de Capella, de Karleolo, concessarum : alias in judicio exhibitam et probatam.

Frater Robertus de Mulecastre,
Frater Odinellus de Routhebyri,
} de ordine Predicatorum.

Magister Johannes Franceys, rector ecclesie de Qweldrik, Eboracensis diocesis, per dimissorias capituli Eboraci, sede vacante.

[Fo. 45b.]

Hugo de Aclum,
Henricus de Strensal,
Henricus le Taburner,
Willelmus de Spofford,
Henricus de Seleby,
} per dimissorias capituli Eboraci et presentatorias, quia de choro.

Frater Johannes de Alverton, canonicus Sancte Agathe, per dimissorias capituli Eboraci.

Robertus filius Willelmi de Thorverton, per dimissorias capituli Eboraci titulum suum testantes.

Willelmus de Karleolo, ad titulum patrimonii in civitate Karleoli : alias exhibitum in judicio et probatum.

Frater Johannes de Kirkoswald, de ordine Carmeli.

Nicholaus de Stanewegges, ad titulum v marcarum per cartam Henrici le Furbur, de Karleolo, concessarum : alias in judicio exhibitam et probatam.

Johannes de Merkinton, ad titulum v marcarum sibi per cartam Nicholai de Grendon concessarum : alias in judicio exhibitam et probatam.

Johannes de Brantingham, per dimissorias capituli Eboraci titulum suum testantes.

Frater Willelmus de Eydon, canonicus de Coverham, per dimissorias capituli Eboraci, sede vacante.

Johannes de Neuton, ad titulum v marcarum sibi per cartam Thome de Hoton concessarum : in judicio exhibitam et probatam.

Frater Adam de Goseneye, monachus de Caldre.

[THURSBY R.—*Resignation of R. de Abindon.*]

RESIGNACIO ECCLESIE DE THORESBY.

Venerabili in Christo patri etc., domino J. Dei gracia Karleolensi episcopo, suus devotus clericus R. de Abindon, salutem et omnem reverenciam cum honore. Ecclesiam meam de Thoresby, necnon omne jus quod habeo in eadem racione presentacionis mihi facte per dominum Willelmum de Boyvile seu admissionis qualiscunque ad eandem, in vestre sanctitatis manus, pure, sponte et absolute resigno per presentes. Data apud Crekelad, iij die Januarii anno Domini M° CCC^mo^ quinto.

[*Richard de Abindon, in right of a grant from William de Boyville, presents William de Swyndon.*]

PRESENTACIO AD ECCLESIAM DE THORESBY.

Venerabili in Christo patri, domino J. Dei gracia Karleolensi episcopo, suus humilis et devotus Ricardus de Abindon, salutem cum omni reverencia et honore. Ad ecclesiam de Thoresby vacantem et ad meam presentacionem spectantem per concessionem et dimissionem mihi factam per dominum Willelmum de Boyville, nuper defunctum, dilectum meum Willelmum de Swyndon, clericum, vestre presento paternitati, supplicans ut ipsum ad eandem admittere et rectorem instituere velitis in eadem caritatis intuitu. Data apud Crekelad, v^to^ die Januarii anno Domini M° CCC^mo^ quinto.

[*Inquisition at St. Cuthbert's, Carlisle, when Richard de Abindon was found to be the true patron.*]

II Kalendas Februarii anno Domini M° CCC^mo^ quinto fuit facta inquisicio super vacacione ecclesie parochialis de Thoresby, Karleolensis diocesis, in ecclesia Sancti Cuthberti Karleoli in pleno capitulo pro Willelmo de Swyndon, presentato ad eandem, per rectores ecclesiarum de Bouneys, Bampton, Ayketon, et alios : qui dicunt quod credunt dictam ecclesiam vacare, et hoc per litteras resignatorias magistri Ricardi de Abindon vobis directas et in capitulo

exhibitas et ostensas. Dicunt etiam quod dictus Willelmus de Boyvill prefatum magistrum Ricardum tempore pacis ad predictam ecclesiam ultimo presentavit, et tunc dictus dominus Willelmus verus fuit patronus ejusdem. Dicunt etiam quod magister Ricardus de Abindon est modo verus patronus ejusdem et, si vacet, debet presentare ad eandem. Et super hoc exhibuit quandam cartam quondam dicti domini Willelmi, que hoc testatur, et nichilominus Johannes de Boyvill, filius et heres predicti domini Willelmi, predictam presentacionem per suas litteras patentes, similiter dicto capitulo exhibitas, ratificat et confirmat. Dicunt etiam quod non est pensionaria nec litigiosa. Credunt etiam quod presentatus est liber et legitimus et aliunde bone conversacionis et honeste et primam tonsuram habet, ut dicit. Cetera vestre examinacioni relinquuntur. Data et acta ut supra.

[*Ordination at Stanwix, Feb. 26, 1305-6.*]

CELEBRACIO ORDINUM DOMINI J. DEI GRACIA KARLEOLENSIS EPISCOPI IN ECCLESIA PAROCHIALI DE STAYNEWEGGES, KARLEOLENSIS DIOCESIS, DIE SABATI QUATUOR TEMPORUM IN PRIMA EBDOMADA QUADRAGESIME ANNO DOMINI M° CCC^mo QUINTO ET PONTIFICATUS SUI QUARTODECIMO.

ACOLITI.

Frater Nicholaus de Staynley, heremita de Redefordwath, Eboracensis diocesis, per dimissorias capituli Eboraci, sede ejusdem vacante.

Thomas filius Alani Fabri, de Dalston, Karleolensis diocesis.

SUBDIACONI.

Gilbertus de Linkefeld, canonicus ecclesie Beate Marie Karleoli.

Frater Johannes de Morpath, de ordine Minorum.

Walterus de Kirkandres, rector ecclesie de Beumont, Karleolensis diocesis.

Symon de Tyrer, rector ecclesie de Cambok, Karleolensis diocesis.

Johannes de Campsal, ad titulum quinque marcarum sibi per cartam Thome de Raynevile, militis, concessarum : in judicio exhibitam et per juramentum ipsius et aliorum probatam. Per dimissorias capituli Eboraci, sede ejusdem vacante.

DIACONI.

Willelmus de Butterwick, rector ecclesie Sancti Michaelis Eboraci, per dimissorias capituli Eboraci, sede ejusdem vacante.

Frater Petrus de Ribbeton,
Frater Robertus de Cumpton,
Frater Thomas de Ribbeton,
} monachi de Holm.

PRESBITERI.

Frater Nicholaus de Pikering, monachus de Holm.

Frater Willelmus de Blakeden, de ordine Predicatorum.

Frater Willelmus de Prudhou, de ordine Minorum.

Radulphus de Bridekirk, ad titulum v marcarum sibi per cartam Thome de Redman concessarum : in judicio exhibitam et probatam.

Adam de Otteley, ad titulum patrimonii et ad presentacionem domini Willelmi de Tanfeld, prioris de Wedirhal, per dimissorias capituli Eboraci, sede ejusdem vacante.

[Fo. 46a.]

[THURSBY R.—*Institution of William de Swyndon, presented by Richard de Abindon.*]

Episcopus etc. Willelmo de Swyndon, clerico, salutem, graciam et benedictionem. Ad ecclesiam de Thoresby, nostre diocesis, vacantem, ad quam per Magistrum Ricardum de Abindon, clericum, verum patronum ejusdem, nobis presentatus existis, te admittimus intuitu caritatis rectoremque instituimus canonice in eadem : salva nobis et nostre Karleolensi ecclesie in omnibus dignitate. Data apud Issal, iij° nonas Februarii anno Domini etc. quinto et pontificatus nostri xiiij^mo.

[*He has a dispensation for seven years : to study.*]

Subsequenter dispensatum est cum eodem quod possit stare in studio per septennium, dum tamen interim bene se habeat et honeste et quod interim loco sui in ecclesia sua idoneum habeat responsalem.

[BEAUMONT R.—*Inquisition after the presentation of Walter de Arthereth by Richard le Brun.*]

II Kalendas Februarii anno Domini M°CCC^mo quinto fuit capta inquisicio super vacacione ecclesie parochialis de Bellomonte in ecclesia Sancti Cuthberti Karleoli in pleno capitulo pro Waltero de Arthereth, presentato ad eandem, per rectores ecclesiarum de Bouneys, Bampton, Ayketon, Orreton, Stapelton, Bothecastre, et

Denton, et vicarios de Irthington, Walton, Burg, Kirkandres, Farlam, et de Staynewegges. Qui dicunt quod ecclesia de Bellomonte vacat per mortem Adam, nuper rectoris ibidem, qui die Epiphanie ultimo preterito decessit; non est litigiosa, non pensionaria. Dicunt etiam quod dominus Ricardus le Brun est verus patronus ejusdem et dictum Adam ad eandem ultimo presentavit. Dicunt etiam quod presentatus est liber et legitimus, bone conversacionis et honeste, et in acolitum ordinatus. Cetera vero vestre examinacioni relinquunt. Data ut supra.

[*He is instituted, and has a letter of induction.*]

INSTITUCIO WALTERI DE ARTHERETH.

J. miseracione divina Karleolensis Episcopus dilecto in Christo filio Waltero de Arthereth, acolito, salutem, graciam et benedictionem. Ad ecclesiam parochialem de Bellomonte, nostre diocesis, vacantem, ad quam per dominum Ricardum le Brun, militem, verum patronum ejusdem, nobis presentatus existis, te admittimus intuitu caritatis rectoremque instituimus canonice in eadem : salva nobis et nostre Karleolensi ecclesie in omnibus dignitate. Data apud Bridekirk, ij nonas Februarii M°CCC^mo v^to et pontificatus nostri xiiij^mo.

Eodem die, videlicet ij nonas Februarii, habuit idem Walterus litteram inductionis archidiacono Karleoli, vel vices ejus gerenti, directam.

[KIRKCAMBOC R.—*Richard de Tyrer's presentee is instituted, a pension being reserved to the prior and convent of Carlisle.*]

INSTITUCIO SYMONIS DE TYRER IN ECCLESIAM PAROCHIALEM DE CAMBOK.

J. etc. Symoni de Tyrer, acolito, salutem, graciam et benedictionem. Ad ecclesiam de Cambok, nostre diocesis, vacantem, ad quam per Ricardum de Tyrer, verum patronum ejusdem ista vice, nobis legitime presentatus existis, te admittimus intuitu caritatis rectoremque instituimus in eadem : salva priori et conventui nostre cathedralis ecclesie Beate Marie Karleoli pensione annua ij solidorum, consueta et debita ab antiquo, et nostre Karleolensis ecclesie predicte ac nostra in omnibus dignitate. Data apud Aspatrik, v^to idus Februarii anno Domini M° CCC^mo quinto et pontificatus nostri quartodecimo.

Eodem die habuit idem Symon litteram inductionis directam archidiacono Karleoli, vel vices ejus gerenti.

[*The Bishop certifies that the executors of the will of Adam del Crokedayk have duly administered his estate.*]

Universis pateat per presentes quod magister Alexander de Crokedayk et Henricus de Claxton, executores testamenti quondam Ade del Crokedayk, factis debitis proclamacionibus in parochiali ecclesia de Bromfeld, coram nobis J. etc. Karleolensi episcopo iiij^to^ idus Februarii anno Domini M° CCC^mo^ quinto compotum administracionis sue facte in bonis ipsius defuncti, que, solutis debitis communibus, se ad centum iiij^xx^ xviij*li.* xv*s.* iiij*d. ob.* extendebant, finaliter reddiderunt. Et, allocatis expensis funeralibus et solutis legatis in testamento dicti testatoris contentis, invenimus dictum testamentum fideliter esse completum nichilque de bonis ejusdem in eorumdem manibus remanere: necnon, ultra porcionem defunctum contingentem,[1] vij*li.* ix*s.* dictus magister Alexander de proprio suo solvit. Ob quod ipsos ab onere hujus compoti absolvimus et auctoritate ordinaria reddimus totaliter absolutos. Data etc.

[Fo. 46b.]

[*Ordination in the Cathedral, March 19, 1305-6.*]

CELEBRACIO ORDINUM DOMINI JOHANNIS DEI GRACIA KARLEOLENSIS EPISCOPI IN ECCLESIA CATHEDRALI DIE SABATI QUA CANTATUR "SICIENTES" ANNO DOMINI M° CCC^mo^ QUINTO ET PONTIFICATUS SUI QUARTODECIMO.

ACOLITUS.

Frater Johannes de Wyredal, de ordine Predicatorum.

SUBDIACONI.

Johannes de Crosseby, rector ecclesie de Selekirk, Glasguensis diocesis.

Hugo de Rovecestre, rector ecclesie de Ulvedal, Karleolensis diocesis.

---

[1] The "dead's part", being the only portion of his goods which a man might dispose of by will. On "legitim," or the customary division into "dead's part", "wife's part" and "bairns' part" (or "dead's part" and "wife's part", or "dead's part" and "bairns' part", as the case might be), see Pollock and Maitland, *Hist. Eng. Law*, 2nd ed., II, pp. 348-356. A good example of the tripartite division is to be found in *Testamenta Karleolensia*, ed. R. S. Ferguson, p. 105:—"Item, debitis meis bene et fideliter solutis, lego et volo quod bona mea dividantur in tres partes equales et quod una pars remaneat michi ad implendum testamentum meum et altera pars remaneat Christiane, uxori mee, pro porcione sua, et quod tercia pars remaneat domino Willelmo et Johanni, duobus filiis meis. Item lego residuum partis mee, si quid fuerit, domino Willelmo, filio, ut ipse celebret divina pro anima mea, quamdiu durare poterit."

Henricus de Helpeston, rector ecclesie de Cliburn, Karleolensis diocesis.

Robertus de Overton, ad titulum xl solidorum sibi per Johannem Sureys, de Appelby, concessarum : presentem et confitentem pro se et heredibus suis se sibi teneri in eisdem.

DIACONI.

Magister Gyunta de Sancto Giminiano, rector ecclesie de Manfeld, Eboracensis diocesis, per dimissorias sui diocesani.

Dominus Walterus, rector ecclesie de Beaumont, Karleolensis diocesis.

Willelmus de Blencoghou, ad titulum quinque marcarum, sibi per cartam domini Thome de Neuton, militis, concessarum : in judicio exhibitam et probatam.

PRESBITERI.

Dominus Willelmus de Butterwyk, rector ecclesie Sancti Michaelis Eboraci, per dimissorias sui diocesani.

Frater Walterus de Laycestre, monachus de Wedirhal, Karleolensis diocesis.

Frater Johannes de Hakenesse, }
Frater Johannes de Beninburgh, } de ordine Predicatorum.

[*Ordination at St. Nicholas', Newcastle-on-Tyne, April 2, 1306.*]

CELEBRACIO ORDINUM DOMINI JOHANNIS DEI GRACIA KARLEOLENSIS EPISCOPI IN ECCLESIA SANCTI NICHOLAI NOVICASTRI SUPER TYNAM, DUNELMENSIS DIOCESIS, EX AUCTORITATE ET LICENCIA DOMINI CONVENTRENSIS ET LICHFELDENSIS EPISCOPI; VENERABILIS PATRIS DOMINI DUNELMENSIS VICARII GENERALIS, IPSO DOMINO DUNELMENSI IN REMOTIS AGENTE, SABATO SANCTO PASCHE ANNO DOMINI M° CCC^mo SEXTO ET PONTIFICATUS SUI QUARTODECIMO.

SUBDIACONUS.

Willelmus de Craystok, Karleolensis diocesis, ad presentacionem magistri J. de Boghes, tunc officialis Karleoli.

DIACONUS.

Dominus Henricus de Helpeston, rector ecclesie de Cliburn, Karleolensis diocesis.

[KIRKLAND R.—*Collation of G. de Haloghton, a pension being reserved to the Prior and Convent of Carlisle.*]

INSTITUCIO DOMINI G. DE HALOGHTON IN ECCLESIA DE KIRKLAND.

Johannes miseracione divina Karleolensis episcopus dilecto in Christo filio domino Gilberto de Haloghton, subdiacono, salutem, graciam et benedictionem. Ecclesiam parochialem de Kirkeland, nostre diocesis, vacantem et ad nostram collacionem spectantem tibi conferimus intuitu caritatis teque rectorem instituimus canonice in eadem: salva priori et conventui nostre cathedralis ecclesie Karleoli annua pensione viginti solidorum, debita et consueta, ac nostre Karleolensis ecclesie et nostra in omnibus dignitate. Data apud Rosam, iij nonas Maii anno Domini M° CCC^mo sexto et pontificatus nostri quartodecimo.

[OUSBY R.—*Collation of Adam de Appleby and reservation of a pension.*]

INSTITUCIO MAGISTRI ADAM DE APPELBY IN ECCLESIA DE ULVYSBY.

Johannes miseracione divina Karleolensis episcopus dilecto in Christo filio magistro Adam de Appelby, clerico, salutem, graciam et benedictionem. Ecclesiam parochialem de Ulvesby, nostre diocesis, vacantem et ad nostram collacionem spectantem tibi conferimus intuitu caritatis teque rectorem instituimus canonice in eadem: salva priori et conventui nostre cathedralis ecclesie Karleoli annua pensione dimidie marce, debita et consueta, ac nostre Karleolensis ecclesie predicte et nostra in omnibus dignitate. Data apud Rosam, iij nonas Maii anno Domini M° CCC^mo sexto et pontificatus nostri quartodecimo.

Eodem die directe fuerunt littere inductorie archidiacono Karleoli pro eisdem.

[Fo. 47a.]

[BEWCASTLE R.—*Presentation of Robert de Suthayk by the Prior and Convent of Carlisle.*]

PRESENTACIO AD ECCLESIAM DE BUTHECASTRE.

Venerabili patri in Christo ac domino reverendo, domino J. Dei gracia Karleolensi episcopo, sui humiles et devoti Willelmus, prior ecclesie Beate Marie Karleoli, et ejusdem loci conventus, salutem et debite devocionis exhibicionem cum obediencia, reverencia et honore. Ad ecclesiam de Buthecastre, vestre diocesis, vacantem et ad nostram presentacionem spectantem dilectum

clericum nostrum, magistrum Robertum de Suthayk, vobis tenore presencium presentamus, reverenciam vestram devocius exorantes quatinus dictum magistrum Robertum ad ecclesiam predictam divine caritatis intuitu velitis admittere et rectorem instituere in eadem. Data in capitulo nostro Karleoli, xvj^mo^ kalendas Junii anno Domini M° CCC^mo^ sexto.

[*Pope Boniface VIII releases to the King all the moneys he has received for the Crusade, as also those arising from his imposts on the Church. See Raine's "Letters and Papers", p. 147.*]

In Dei nomine, amen. Hoc est exemplum sive transcriptum quarumdam litterarum apostolicarum, vera bulla plumbea felicis recordacionis domini Bonifacii pape VIII^i^ et filo canapis more curie Romane bullatarum, non cancellatarum, non rasarum, non abolitarum, non corruptarum, nec in aliqua sui parte viciatarum, set omni suspicione carencium; cujus tenor talis est. Bonifacius episcopus, etc., karissimo in Christo filio E., regi Anglie illustri, salutem et apostolicam benedictionem. Celsitudinis tue condiciones ac merita et devocionis affectum, quem ad Deum et apostolicam sedem ac Terram Sanctam hactenus habuisti ac te habere speramus et confidimus in futurum, benigna consideracione pensantes ac attendentes quod moderni malicia temporis te sumptibus plurimis ac laboribus et angustiis aggravavit, pia meditacione providimus ad te super hoc animum compassionis extendere ac, tue providendo saluti, apostolice sedis munificenciam tibi super hiis reddere graciosam. Ut igitur nostre benignitatis affectum percipias cum effectu, totum et quicquid de quibuscunque decimis in quibuscunque regni locis et partibus et quibuscunque temporibus, olim per apostolicam sedem in predicte Terre Sancte subsidium deputatis, per te vel alium seu alios usque in hodiernum diem percepisti vel ad te pervenit, tibi auctoritate apostolica de mera gracia remittimus et donamus. Ceterum quia occasione guerrarum, turbacionum et scandalorum que tibi in regno tuo insurrexisse noscuntur, tu, compulsus indigencia et necessitate coactus, ecclesias et personas ecclesiasticas dicti regni per imposiciones et exactiones illicitas forsitan aggravasti, nos attendentes quod tu jam declinas ad senium et propterea saluti tue super hiis providere salubriter intendentes, totum et quicquid per imposiciones et exactiones hujusmodi per te vel alium seu alios percepisti vel ad te inde pervenit, eadem tibi auctoritate de gracia remittimus et concedimus ampliori: absolventes te auctoritate prefata a qualibet excommunicacionis sentencia, si quam propter ea incurristi. Tu

itaque, fili, benignitatem nostram devota mente respiciens ac mentem erigens et oculos reverenter ad Deum, erga prefatam Terram Sanctam super hiis sic te liberalem exhibeas sicque Deo et ecclesie matri tue te gratum et devotum intentis studiis representes, quod dignis attolli laudibus merearis. Data Laterani, iiij^to^ idus Marcii pontificatus nostri anno vij^mo^.

Et ego Johannes Roberti filii Thome dictus de Armiston, clericus, Lincolniensis diocesis, publicus auctoritate imperiali notarius, predictas litteras originales sanas, ut premittitur, et integras tetigi et inspexi ac etiam cum magistris Roberto de Wytebech et Henrico de Colecestre, notariis publicis, apud Westmonasterium juxta Londonias diligenter examinavi et ascultavi sub anno Domini M° CCC^mo^ quinto, indictione quarta, mensis Octobris die xxxj^mo^: et, quia illud idem inveni in eisdem litteris quod in hoc ipsarum exemplo, nullo addito, subtracto, vel mutato quod sensum mutet aut viciet intellectum, eas scripsi, exemplavi, et publicavi meoque signo solito signavi rogatus.

[*Significance of the above concession.*]

NOTA.—Remittitur regi Anglie et donatur quicquid de quibuscunque decimis, in Terre Sancte subsidium deputatis, perceptum per ipsum vel alium ad ipsum pervenit.

Item papa remittit et concedit eidem regi quicquid percepit ab ecclesiis vel ecclesiasticis personis per imposiciones et exactiones vel ad ipsum inde pervenit.

[BEWCASTLE R.—*Note as to the custody of the church being committed to the presentee.*]

BOTHECASTRE.—Memorandum quod, facta inquisicione super vacacione ecclesie de Bothecastre, magistro Roberto de Suthayk, presentato ad eandem, ex certis causis sibi legitimis ipsius ecclesie custodia fuit commissa: et super hoc habuit litteram inductionis archidiaconus Karleoli, ut est moris.

[Fo. 47b.]

[*Letters from the Bishops of Lincoln and London, the principal collectors, concerning the payment and collection of a crusading tenth imposed for two years by Pope Clement V on all ecclesiastical benefices in England, Scotland, Ireland, and Wales. The Cardinals, the Templars, and the Hospitallers are exempted.*]

In nomine Domini, amen. . . . Lincolniensis et . . . Londoniensis episcopi, collectores decime per sanctissimum patrem dominum Clementem papam Quintum nuper imposite pro Terre Sancte

negocio per biennium in tota Anglia, Scocia, Hybernia, et Wallia, earumque civitatibus et diocesibus deputati (sub illa clausula, "quam per vos et vestrum alterum sub infrascriptis modis et formis in statutis terminis colligi precipimus et mandamus") universis archiepiscopis, episcopis, electis, abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, prepositis, archipresbiteris, et aliis ecclesiarum prelatis, capitulis, collegiis, et conventibus, Cisterciensis, Cluniacensis, Premonstratensis, Sancti Benedicti, Sancti Augustini, Cartusiensis, Grandimontensis, et aliorum ordinum, ceterisque personis ecclesiasticis, tam regularibus quam secularibus, exemptis et non exemptis, per loca, civitates, et dioceses eadem ubilibet constitutis, salutem et mandatis apostolicis firmiter obedire. Universitati vestre notificamus tenore presencium quod nos litteras apostolicas, filo canapis et vera bulla inbullatas, sanas et integras, non cancellatas, non abolitas, nec in aliqua sui parte viciatas, apud Westmonasterium, Londoniensis diocesis, xxj^{mo} die mensis Aprilis recepimus, quarum transcripta per manum publicam exemplata ac nostris sigillis consignata vobis inspicienda et transcribenda transmittimus, per latorem presencium nobis illico remittenda. Tenores vero dictarum litterarum apostolicarum sunt tales.

Clemens episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus . . . Lincolniensi et . . . Londoniensi episcopis, collectoribus decime per nos nuper imposite pro Terre Sancte negocio per biennium in tota Anglia, Scocia, Hybernia, Wallia, earumque civitatibus et diocesibus, incipiendum in festo proximo futuro Omnium Sanctorum, salutem et apostolicam benedictionem. Gustato ante et post nostre ad summum apostolatum[1] promocionis auspicia sepius amaritudinis calice super Terre Sancte oppressionibus dilatatis, quam sauciat laceratque manus Agarenorum impia, madefieri semper avida sanguine Christiano, ejus ploravimus et ploramus angustias et per affectum compassionis intime secum sui doloris tormenta partimur, ad cujus (quin immo nostri Salvatoris) ulciscendum injurias intentis studiis, operosis laboribus, inexcusatis vigiliis, procuratisque oportunis remediis, prout nobis ex alto permittitur, accelerare proponimus, vacare intendimus et, aliis omnino curis sepositis, laborare ne terra ipsa pro expensarum defectu, quibus indiget sumptuosis, Christi fidelium, quod absit, destituatur auxilio vel ejus votiva restauracio ulterius retardetur. Quare pro ipsius Terre Sancte negocio decimam omnium ecclesiasticorum proventuum et reddituum per totam Angliam, Scociam,

[1] MS. "ad summi apostolatus."

Hyberniam, et Walliam, earumque civitates et dioceses, ad biennium in festo Omnium Sanctorum proximo futuro in antea numerandum, apostolica auctoritate duximus imponendam, quam per vos et vestrum alterum sub infrascriptis modis et formis et in statutis terminis colligi precipimus et mandamus. Ideoque venerabiles fratres nostros, archiepiscopos et episcopos, ac dilectos filios, electos, abbates, priores, decanos, archidiaconos, prepositos, archipresbiteros, et alios ecclesiarum prelatos, capitula, collegia et conventus, Cisterciensis, Cluniacensis, Premonstratensis, Sancti Benedicti, Sancti Augustini, Cartusiensis, Grandimontensis, et aliorum ordinum, ceterasque personas ecclesiasticas, tam regulares quam seculares, exemptas et non exemptas, per loca, civitates et dioceses eadem ubilibet constitutas, per alias nostras certi tenoris litteras attente monendas et affectuose rogandas et obsecrandas duximus in Domino Jesu Christo, dantes eis nichilominus per easdem litteras in mandatis ac in remissionem peccaminum injungentes, quatinus ipsi magnam et instantem necessitatem negocii terre predicte, quod grandia onera expensarum exposcit, diligencius attendentes et conformantes se super hiis nostris et sedis apostolice beneplacitis et mandatis, ob divinam ejusdemque sedis et nostram reverenciam ac suarum meritum animarum, hujusmodi decimam omnium suorum ecclesiasticorum proventuum et reddituum per idem biennium vobis vel subcollectoribus per vos deputandis ad id in prefigendis a vobis terminis integraliter sine qualibet difficultate persolvant. Quocirca fraternitati vestre, de qua fiduciam gerimus in Domino specialem, presencium auctoritate mandamus quatinus predicte decime colligende in omnibus locis et partibus supradictis subscripto modo sollicitam curam geratis, videlicet, quod in singulis civitatibus et diocesibus ipsarum decretarum vobis parcium de consilio ordinariorum aut eorum vices gerencium, si diocesani episcopi forent absentes, et duorum fidedignorum de ecclesia cathedrali constitutorum in dignitatibus seu aliorum, tam quoad exemptos quam quoad non exemptos, deputetis unam vel plures, prout expedire videritis, personas fide, facultatibus, si tales inveniantur comode, ac alias idoneas ad collectionis hujusmodi ministerium exequendum. Collectores, autem, quos (ut premittitur) deputabitis, facietis in forma infrascripta jurare. Et vos nichilominus partes circumeatis easdem diligencius scrutaturi qualiter in commisso sibi dicte collectionis officio prefati se habeant collectores et qualiter ipsis de decima satisfiet, collectamque ex decima ipsa pecuniam faciatis vobis integraliter resignari, vos custodientes eandem donec de illa sedes ipsa duxerit ordi-

nandum. Vobis quoque cum consilio predictorum
[Fo. 48a.] ordinariorum et aliorum mutandi collectores ipsos, quociens expedire videritis, ac eos compellendi ad reddendum coram eisdem ordinariis et aliis, si hoc videritis expedire, vobis et vestrum alteri compotum de collectis et contradictores quoslibet et etiam omnes illos, qui proventuum suorum ecclesiasticorum et reddituum in predictis partibus consistencium decimam in terminis sibi prefixis solvere non curarint, vobis et alteri vestrum per vos vel alium seu alios auctoritate apostolica per censuram ecclesiasticam (appellacione postposita) compescendi plenam tenore presencium concedimus etiam potestatem. Terminos autem ad hujusmodi decimam persolvendam sic per vos volumus assignari, videlicet, ut predictorum annorum utroque infra festum Nativitatis Beati Johannis baptiste medietas et demum infra festum Nativitatis Domini alia medietas ipsius decime persolvatur. Non obstante si aliquibus a sede sit indultum eadem quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, que de indulto hujusmodi ac tota ejus continencia de verbo ad verbum et de propriis locorum et personarum nominibus plenam et expressam non fecerint mencionem, sive quibuslibet aliis indulgenciis et litteris apostolicis ac privilegiis quibuscumque dignitatibus, ordinibus, locis vel personis, generaliter vel specialiter, sub quacumque forma vel concessione verborum ab eadem sede concessis, de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum in nostris litteris specialis, plena et expressa mencio sit habenda. Et insuper de premissis sic diligenter et sollicite ac fideliter prosequendis et quod nichil indebite recipietis de decima memorata, prestetis (evangeliis coram vobis positis) juramentum. Considerantes itaque quod in premissis Dei negocium prosequentes in conspectu ejus agitis, qui cuncta discernit, sibique necnon et nobis, qui circa hoc omnem diligenciam adhibere intendimus, tenebimini reddere racionem ab utroque pro meritis recepturi, sic prudenter in illis vos studeatis habere sicque consulte quod in utriusque judicio non solum vitetis pene confusionisve discrimina, set laudis titulos et graciam ac retribucionis meritum sitis a nobis et sede apostolica percepturi. Ceterum venerabiles fratres nostros, sacrosancte Romane ecclesie cardinales, qui nobiscum labores mundi parciuntur et curas, necnon dilectos filios, Templarios et Hospitalarios, quorumcumque ordinum et domorum per loca et partes constitutos prefata, qui ad defensionem prefate terre ut Christi pugiles sepius se exponunt, ad prestacionem prefate decime decernimus non teneri. Forma autem juramenti, quod prestare volumus collectores eosdem, hec

est:—"Juro ego . . a vobis, domino . . , auctoritate apostolica deputatus collector ad exigendum, colligendum et recipiendum decimam omnium reddituum et proventuum ecclesiasticorum ab omnibus personis ecclesiasticis, exemptis et non exemptis, in Anglia, Scocia, Hybernia, et Wallia, earumque civitatibus et diocesibus constitutis, pro Terre Sancte negocii prosecucione, quod illam fideliter exigam, colligam, recipiam, atque custodiam, ipsam decimam non deferendo in hiis alicui persone, cujusque ordinis, status, condicionis, aut dignitatis existat, prece, timore, gracia, vel favore, seu quacumque de causa, et eam integre restituam et resignabo, prout a vobis recepero in mandatis, et super premissis omnibus et singulis plenam et fidelem racionem reddam vobis. Et si contingat vos officium, quod in premissis geritis, dimittere, hec eadem faciam juxta mandatum illius qui substituetur in eodem officio. Sic Deus me adjuvet et sancta Dei evangelia." Data Burdegale, iiij^{to} nonas Augusti pontificatus nostri anno primo.

Item.—Clemens episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus, archiepiscopis et episcopis, ac dilectis filiis, electis, abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, prepositis, archipresbiteris, et aliis ecclesiarum prelatis, capitulis, collegiis et conventibus, Cisterciensis, Cluniacensis, Premonstratensis, Sancti Benedicti, Sancti Augustini, Cartusiensis, Grandimontensis, et aliorum ordinum, ceterisque personis ecclesiasticis, tam religiosis quam secularibus, exemptis et non exemptis, per totam Angliam, Scociam, Hyberniam, et Walliam, earumque civitates et dioceses ubilibet constitutis, salutem et apostolicam benedictionem. Gustato ante et post nostre ad summum apostolatum[1] promocionis auspicia sepius amaritudinis calice super Terre Sancte oppressionibus dilatatis, quam sauciat laceratque manus Agarenorum impia, madefieri semper avida sanguine Christiano, ejus ploravimus et ploramus angustias ac per affectum compassionis intime secum sui doloris tormenta partimur, ad cujus (immo pocius Salvatoris nostri) ulciscendum injurias intentis studiis, operosis laboribus, inexcusatis vigiliis, procuratisque oportunis remediis, prout nobis ex alto permittitur, accelerare proponimus, vacare intendimus et, aliis omnino curis sepositis, laborare ne terra ipsa pro expensarum defectu, quibus indiget sumptuosis, Christi fidelium, quod absit, destituatur auxilio vel ejus votiva restauracio ulterius retardetur. Quare pro hujusmodi terre negocio decimam omnium ecclesias-

[1] MS. "ad summi apostolatus".

ticorum reddituum et proventuum per totam Angliam, Scociam, Hyberniam, et Walliam, earumque civitates et dioceses, per biennium in festo Omnium Sanctorum proximo futuro in antea numerandum, apostolica auctoritate duximus imponendam, quam per venerabiles fratres nostros . . Lincolniensem et . . Londoniensem episcopos, ipsius decime collectores deputatos a nobis, et subcollectores deputandos ab eis mandamus per alias
[Fo. 48b.] nostras certi tenoris litteras sub certis modis et formis et in statutis in eisdem litteris terminis colligendam. Quocirca universitatem vestram monemus et affectuose rogamus ac obsecramus in Domino Jesu Christo, vobis nichilominus et vestrum cuilibet per apostolica scripta mandantes ac in remissionem peccaminum injungentes, quatinus vos magnam et instantem necessitatem negocii memorati, quod grandia onera expensarum exposcit, diligencius attendentes ac conformantes vos super hiis nostris et apostolice sedis beneplacitis et mandatis, ob divinam ejusdemque sedis et nostram reverenciam ac vestrarum meritum animarum, omnium vestrorum ecclesiasticorum proventuum et reddituum decimam per predictum biennium eisdem collectoribus et subcollectoribus (ut predicitur) deputandis ab eis in prefigendis vobis ad hoc terminis absque difficultate qualibet integraliter persolvatis. Alioquin eisdem collectoribus vos ad id, necnon contradictores quoslibet et rebelles, auctoritate apostolica per se vel alium seu alios, quociens expedire viderint, per censuram ecclesiasticam (appellacione postposita) compescendi plenam per alias nostras certi tenoris litteras concedimus potestatem. Nos enim sentencias sive penas spirituales, quas ipsi vel alter ipsorum propter hoc tulerit rite in rebelles, ratas habebimus et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Non obstante si vobis vel vestrum aliquibus aut vestris ordinibus ab eadem sede indultum existat vel contigerit interim indulgeri quod interdici, suspendi et excommunicari non possitis per litteras apostolicas, que de indulto hujusmodi ac tota ejus continencia de verbo ad verbum et de propriis locorum et personarum seu ordinum nominibus plenam et expressam non fecerint mencionem, sive quibuslibet aliis privilegiis, indulgenciis et litteris apostolicis quibuscumque dignitatibus, ordinibus, locis et personis generaliter et specialiter sub quacumque forma vel concessione verborum concessis, de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum in nostris litteris specialis, plena et expressa mencio sit habenda. Ceterum venerabiles fratres nostros, sacrosancte Romane ecclesie cardinales, qui nobiscum labores mundi parciuntur et curas, necnon

dilectos filios, Templarios et Hospitalarios, quorumcumque ordinum et domorum per loca et partes constitutos prefata, qui ad defensionem terre prefate sepius ut Christi pugiles se exponunt, ad prestacionem prelibate decime decernimus non teneri. Data Burdegale, kalendis Augusti pontificatus nostri anno primo.

Prefatas siquidem originales litteras penes nos Londoniis pro vitandis viarum discriminibus reservari fecimus, omnibus quorum interest oportunis temporibus exhibendas. Data apud Westmonasterium, xxj^mo^ die mensis Aprilis anno gracie M° CCC^mo^ sexto.

Et ego Gilbertus de Lutegarshale, Sarisburiensis diocesis, publicus imperiali auctoritate notarius, prescriptas litteras apostolicas, filo canapis et vera bulla plumbea (ut premittitur) imbullatas, sanas et integras, non cancellatas, non abolitas, nec in aliqua sui parte viciatas, vidi et diligenter inspexi easdem de verbo ad verbum et ad requisicionem et mandatum venerabilium patrum dominorum Johannis et Radulphi, Lincolniensis et Londoniensis episcoporum, collectorum decime (ut predicitur) imposite, eas transcripsi, exemplavi, seu sumpsi, nil addens, nil minuens, quod sensum mutet aut viciet intellectum. Et quia hec prescripta cum suis originalibus, ascultata per me notarium et infrascriptos clericos, reperi concordare, in ejusdem transcripti, exempli seu sumpti plenam fidem et testimonium me subscripsi, et hoc instrumentum publicum meo signo consueto apud Westmonasterium rogatus signavi sub anno Domini a Nativitate M° CCC^mo^ sexto, indictione quarta, xxj die Aprilis: presentibus in ascultacione domino Johanne de Scaleby, canonico Lincolnie, Johanne de Normanneby, Johanne de Mundevile, clericis, magistro Roberto de Bukingham et magistro Rogero de Geytington, notariis publicis, testibus ad hoc specialiter vocatis et rogatis.

[*Bishop Halton and John de Sandal, Chancellor of Dublin, are appointed collectors for Scotland.*]

. . Lincolniensis et . . Londoniensis episcopi, collectores decime per sanctissimum patrem, dominum Clementem divina providencia papam Quintum, nuper imposite pro Terre Sancte negocio per biennium in tota Anglia, Scocia, Hybernia, et Wallia, earumque civitatibus et diocesibus deputati, venerabili patri, domino . . episcopo Karleolensi, et provido viro, domino Johanni de Sandal, cancellario Dublinensis ecclesie, salutem in omnium Salvatore. Dudum litteras apostolicas super dicte decime imposicione, prestacione et collectione confectas, sanas et integras, filo

canapis et veris bullis imbullatas, non cancellatas, non abolitas, nec in aliqua sui parte viciatas recepimus, quas per manum magistri Gilberti de Lutegarshale, notarii publici, fideliter transcribi fecimus et in publicam formam redigi dictumque transcriptum legitime publicatum et sigillis nostris sigillatum vobis transmittimus, penes vos una cum presentibus remansurum, ipsis originalibus litteris penes nos certis ex causis remanentibus apud Londonias, omnibus quorum interest oportunis temporibus exhibendis. Sane quia, tum propter dicte decime collectionem in partibus Anglie et
[Fo. 49a.] Wallie, tum propter alia ardua, sumus prepediti quominus dicte collectioni aut singularum civitatum et diocesium in partibus Scocie idoneorum subcollectorum deputacioni, quorum noticiam habere non valemus ad plenam in longinquo constituti, per nos vacare non possimus, vobis et vestrum alteri committimus vices nostras, donec eas duxerimus revocandas, ad colligendum decimam predictam (ut premittitur) impositam per biennium in tota Scocia sub modis et formis ac statutis terminis in dictis litteris apostolicis expressis, et in singulis civitatibus et diocesibus terre predicte Scocie de consilio ordinariorum aut eorum vices gerencium, si diocesani episcopi fuerint absentes, et duorum fidedignorum de ecclesia cathedrali constitutorum in dignitatibus seu aliorum, tam quoad exemptos tam quoad non exemptos, venerabilibus patribus sacrosancte Romane ecclesie cardinalibus, necnon Templariis, Hospitalariis dumtaxat exceptis; et ad deputandum unam vel plures, prout expedire videritis, personas fide, facultatibus, ac alias idoneas ad collectionis hujusmodi ministerium exequendum; et ad faciendum collectores a vobis deputandos jurare sub forma in dictis litteris apostolicis subscripta; et ad circumeundum partes easdem Scocie, diligencius scrutaturos qualiter in commisso sibi dicte collectionis officio prefati se habeant collectores et qualiter ipsis de decima satisfiet; et ad faciendum collectam ex ipsa decima pecuniam vobis integraliter resignari, eandem custodientes donec de illa sedes ipsa duxerit ordinandum vel aliud a nobis vel nostrum altero receperitis in mandatis; necnon ad mutandum cum consilio dictorum ordinariorum collectores ipsos, quociens videritis expedire, ac eos compellendum ad reddendum coram eisdem ordinariis et aliis, si hoc videritis expedire, vobis et vestrum alteri compotum de collectis: contradictores quoslibet ac etiam non solventes decimas in terminis sibi prefixis, videlicet, in utroque predictorum annorum unam medietatem infra festum Nativitatis Beati Johannis baptiste et demum aliam medietatem infra festum Nativitatis Domini, per censuram

ecclesiasticam compescendo, et omnia alia faciendo que dictarum litterarum apostolicarum tenores, forme et effectus exigunt et requirunt. Proviso quod de premissis sic diligenter et sollicite ac fideliter prosequendis et quod nichil indebite recipietis de decima memorata, juxta dictarum artacionem litterarum et earumdem formam et effectum, prestetis—evangeliis coram vobis, domine episcope, positis et a vobis domino cancellario tactis—juramentum dicte sedi apostolice seu nobis, cum ex parte nostra fueritis congrue premuniti, super premissis omnibus et singulis plenam et fidelem racionem reddituri. Hoc etiam omnibus quorum interest intimamus per presentes litteras, sigillorum nostrorum impressione communitas ac signo magistri Gilberti de Lutegarshale, notarii publici suprascripti, signatas. Data apud Westmonasterium, xxj^mo^ die mensis Aprilis anno Domini M° CCC^mo^ sexto.

Et ego Gilbertus de Lutegarshale, Sarisburiensis diocesis, publicus imperiali auctoritate notarius, commissionibus interfui suprascriptis et scripsi prescriptas commissionum litteras ad mandatum et rogatum predictorum dominorum . . Lincolniensis et . . Londoniensis episcoporum, collectorum decime suprascripte, ac eas in hanc publicam formam redegi meoque signo consueto signavi sub anno Domini M° CCC^mo^ sexto, indictione quarta, xxj^mo^ die mensis Aprilis apud Westmonasterium, Londoniensis diocesis: presentibus reverendo patre domino Waltero, Dei gracia Coventrensi et Lichfeldensi episcopo, thesaurario Anglie; Johanne de Drokenesford, custode garderobe domini regis; et Rogero de Hehgham, milite, et multis aliis circumstantibus clericis, testibus.

[*Letter from the King to the Bishop touching his commission to absolve from sentences of excommunication and dispense for "irregularity" those who had become liable to the same during the late war.*]

Rex episcopo Karleolensi, salutem. Cum sanctissimus pater dominus Clemens, divina providencia summus pontifex, vobis et religiosis viris abbatibus Beatè Marie Eboraci, de Sancto Albano, et de Waltham, absolvendi fideles nostros de regno nostro et aliunde a sentenciis excommunicacionum et aliis delictis, in que inciderunt, nonnullos hostes et rebelles nostros (qui in perturbacionem regni nostri, jurium nostrorum et fidelium pravis conatibus nitebantur) gladio et modis aliis perimendo, plures etiam mutilando et subiciendo verberibus, ecclesias etiam et loca ecclesiastica incendio et ruina vastando, et quedam alia committendo, et similiter cum illis qui propter premissa irregularitatem aliquam incurrerunt (homicidis exceptis) auctoritate apostolica dispensandi

per litteras apostolicas separatas plenam commiserit potestatem (prout in quadam bulla, quam vobis inde mittimus, plenius continetur), vos rogamus cum affectu quatinus omnibus illis de regno nostro et aliunde, qui in prosequendo hostes et rebelles nostros predictos excommunicacionum sentencias seu delicta alia aut irregularitatem incurrerunt et ad vos pro absolucione vel dispensacione super sentenciis aut irregularitate predictis obtinenda voluerint declinare, absolucionis seu dispensacionis hujusmodi beneficium, quatenus ipsos audita peticione eorumdem vestra discrecio noverit indigere, juxta tenorem bulle predicte sine difficultate qualibet impendatis. Teste me ipso apud Wynton, xvij die Aprilis anno regni nostri xxxiiij^to^.

[Fo. 49b.]

[Aikton R.—*William de Somerset resigns his moiety.*]

Resignacio Willelmi de Somerset de medietate ecclesie de Ayketon.

Reverendo in Christo patri ac domino suo, domino J. Dei gracia Karleolensi episcopo, Willelmus de Somerset, rector medietatis ecclesie de Ayketon, salutem cum omnimoda obediencia, reverencia, et honore. Predictam medietatem ecclesie de Ayketon in vestras sacras manus pure, sponte, et absolute tenore presencium resigno, supplicans humiliter et devote quatinus dictam resignacionem admittere velitis et ulterius quod vestro incumbit officio facere in premissis. Et quia sigillum meum pluribus est incognitum, sigillum venerabilis viri domini Stephani de Maulay, archidiaconi Clivelandie, una cum sigillo meo per modum collacionis presentibus apponi procuravi. Data apud Aukelandiam Sancti Andree, die Sancti Johannis ante portam Latinam anno Domini M° CCC^mo^ sexto.

[*Institution of Richard de Askeby, on the presentation of Thomas de Multon, of Gilsland.*]

Institucio Ricardi de Askeby in eadem.

Johannes, miseracione divina Karleolensis episcopus, dilecto in Christo filio Ricardo de Askeby, clerico, salutem, graciam et benedictionem. Ad medietatem ecclesie parochialis de Ayketon, nostre diocesis, per resignacionem domini Willelmi de Somerset, nuper rectoris ejusdem, vacantem, ad quam per Thomam de Multon, dominum de Gillesland, verum patronum ejusdem, nobis presentatus existis, te admittimus intuitu caritatis rectoremque

instituimus canonice in eadem : salva nobis nostreque Karleolensi ecclesie in omnibus dignitate. Data Karleoli, iij° kalendas Junii anno Domini M° CCC^mo^ sexto, pontificatus vero nostri xiiij^mo^.

[*He has a dispensation to study for seven years.*]

DISPENSACIO.

Dispensatum est cum eodem quod possit stare in studio per septennium, juxta formam constitucionis novelle.

[*Ordination in the Cathedral, May 28, 1306.*]

CELEBRACIO ORDINUM DOMINI JOHANNIS DEI GRACIA KARLEOLENSIS EPISCOPI IN ECCLESIA SUA CATHEDRALI KARLEOLI DIE SABATI QUATUOR TEMPORUM MENSE MAII ANNO DOMINI M° CCC^mo^ SEXTO ET PONTIFICATUS SUI QUARTODECIMO.

SUBDIACONI.

Adam de Castelkayrok, ad titulum xl solidorum, sibi per cartam Johannis de Farlham concessorum : in judicio exhibitam et probatam.

Johannes de Laycestre, Lincolniensis diocesis, per dimissorias domini Lincolniensis episcopi, ad titulum xl solidorum sibi per cartam domini Jacoby de Hartcla, rectoris ecclesie de Sadeberg in Lonesdal, concessorum : in judicio exhibitam et probatam.

Willelmus de Penreth, ad presentacionem Willelmi de Blencou de Penreth, junioris, et Gilberti filii Ricardi de eadem, comparencium pariter coram nobis, officiali Karleoli, et concedencium eidem quinque marcas annuas percipiendas ad festa Sancti Martini et Pentecostes per equales porciones : ad quas fideliter eidem solvendas, ut predictum est, per nos sunt judicialiter condempnati.

DIACONI.

Thomas de Corebrigg, ad presentacionem dominorum prioris et conventus ecclesie Beate Marie Karleoli.

Willelmus de Craystok, ad presentacionem magistri Johannis de Bowes, tunc officialis Karleoli.

Frater Henricus de Ludelawe, de ordine Sancti Augustini.

PRESBITERI.

Johannes de Scosthorn, Lincolniensis diocesis, per dimissorias Lincolniensis episcopi et ad titulum centum solidorum

sibi per cartam domini Willelmi de Bevercote, cancellarii Scocie, concessorum : in judicio exhibitam et probatam.

Johannes de Laycestre, Lincolniensis diocesis, per dimissorias domini Lincolniensis episcopi et ad titulum centum solidorum sibi per cartam domini Johannis de Lindeseye, militis, concessorum : in judicio exhibitam et probatam.

[Bowness R.—*The Rector is granted three years absence for study at a university.*]

DISPENSACIO DOMINI ROHALDI DE RICHEMONT DE NON RESIDENCIA.

J. etc. Karleolensis episcopus dilecto in Christo filio domino Rohaldo de Richemont, rectori ecclesie parochialis de Bouneys, nostre diocesis, a nobis in diaconum et presbiterum rite et canonice ordinato, salutem, graciam et benedictionem. Tue devocionis et probitatis merita nos inducunt ut personam tuam in hiis, que a nobis fieri postulas, favore prosequamur gracie specialis. Ut itaque in congruo et honesto studio pro tue discrecionis beneplacito per triennium continuum a tempore date presencium numerandum licite valeas immorari, dum tamen interim bene te habeas et honeste, liberam tibi tenore presencium concedimus facultatem. Infra quod tempus te nolumus per officialem vel ministros nostros ad personalem residenciam faciendam nec ad interessendum sinodis, visitacionibus, seu aliis congregacionibus compelli vel ea occasione aliqualiter molestari : proviso quod dicta ecclesia tua interim debitis non defraudetur obsequiis nec animarum cura in ipsa aliquatenus negligatur. Volumus etiam quod procuratorem idoneum in prefata ecclesia medio tempore constituas loco tui. Data apud Linstok, v kalendas Septembris anno Domini M° CCC^mo^ sexto et pontificatus nostri quartodecimo.

[Fo. 50a.]

[*The Archbishop of York, who has been commissioned with its execution, sends to Bishop Halton a notarial transcript of Clement V's bull absolving the King from his promises to observe the Confirmation of the Charters, and asks him (after taking a copy) to forward it to the Bishop of Whithern.*]

W. permissione divina Eboracensis archiepiscopus, Anglie primas, executor ad infrascripta exequenda a sacrosancta sede apostolica deputatus, venerabilibus in Christo fratribus, dominis . . . Dei gracia Karleolensi et Candide Case episcopis seu eorum vicariis in sua absencia generalibus aut locum tenentibus vel officialibus eorumdem, salutem et in caritate fraterna mandatis

apostolicis humiliter obedire. Mandatum sanctissimi in Christo patris domini nostri summi pontificis, domini Clementis divina providencia pape Quinti, non cancellatum, non abolitum, nec in aliqua sui parte viciatum, set vera bulla bullatum, recepimus v^to^ idus Junii anno gracie M° CCC^mo^ sexto, tenorem continens subsequentem.

Clemens episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri . . . archiepiscopo Eborum, salutem et apostolicam benedictionem. Regalis devocionis integritas carissimi in Christo filii nostri E. regis Anglie illustris, que in exequendis votis apostolice sedis viget et viguit indefessa, digne meretur ut sedes ipsa ab eo obnoxia amputet, abstergat incomoda, et fructuosa procuret. Sane nuper digna relacione percepimus quod, ipso olim in Flandria (et antequam illuc etiam accessisset) pro sui juris tuicione contra nonnullos suos emulos et hostes agente, nonnulli regni sui magnates et nobiles alieque persone, suo nomini inimice, ex eo oportunitate captata quod extra regnum ipsum occupabatur in opposito emulorum, nisi eisdem quasdam concessiones, varias et iniquas, forestas aliaque jura ad coronam et honorem sui culminis spectancia ab antiquo—que etiam priusquam a dicto regno secederet ab ipso importune petebant—fecisset, contra eum conspiraverant, concitabant populos, et scandala seminabant plurima. Idemque rex, prudenter illorum machinacionem advertens ac volens tunc currentis temporis vitare pericula, concessiones hujusmodi duxit plus coactus quam voluntarius faciendas: et, tandem in regnum predictum eo postmodum revertente, licet nondum guerris sedatis eisdem, iidem magnates et alii concessiones hujusmodi per importunitatem et presumptuosam instanciam per eum obtinuerunt etiam innovari: regalibus super hoc exhibitis litteris ut in omnes infringentes concessiones prefatas bis annis singulis per omnes regni predicti cathedrales ecclesias excommunicacionis sentencia promulgetur, sicut in eisdem litteris regio sigillo signatis plenius et seriosius continetur. Cum itaque sedes ipsa, que regnum predictum diligit inter omnia regna mundi et regem ac ipsum regnum gerit in visceribus caritatis, recognoscat concessiones easdem presumptas et factas in sui honoris dispendium et regalis excellencie detrimentum, concessiones easdem et vigorem ipsarum et quicquid per eas fuit quomodolibet subsecutum ac etiam excommunicacionum sentencias (que in eisdem ecclesiis vel alibi fuerunt pro illarum observacione forsitan promulgate) auctoritate apostolica de potestatis plenitudine revocavimus, annullavimus, cassavimus; cassas, nullas, et irritas nunciavimus; litteras super illis confectas viribus vacuantes ac decernentes regem ipsum

et successores suos, reges Anglie, ad illarum observanciam de cetero non teneri, etiam si de observandis eisdem sacramentum forsitan prestitisset, presertim cum, quando coronacionis sue suscepit solempnia, de honore et juribus corone sue servandis (sicut ex parte sua asseritur) prestitit juramentum, aut si ad penas aliquas se propterea obligasset: a quibus et reatum perjurum, si quem propterea noscitur incurrisse, eum etiam absolvimus ad cautelam: districtius inhibentes venerabilibus fratribus nostris, archiepiscopis et episcopis ceterisque personis tam ecclesiasticis quam secularibus per regnum ipsum ubilibet constitutis, ne ipsi vel quivis ipsorum (videlicet, sub pena suspensionis a beneficiis et officiis, quam si per mensem sustinuerint, sub sentencia excommunicacionis quam extunc eos, necnon omnes et singulos alios incurrere illico volumus ipso facto) ne contra hujusmodi revocacionis, anullacionis, cassacionis, irritacionis, et decreti nostri tenorem aliquid attemptare presumant. Nos enim extunc irritum decrevimus et inane si secus super hiis contigerit attemptari. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus revocacionem, anullacionem, cassacionem, irritacionem, absolucionem, inhibicionem, suspensionis et excommunicacionis sentencias, et decretum, ac omnia et singula supradicta in ecclesiis et locis aliis, de quibus et quociens expedire videritis, coram populo solempniter publicari procures, faciens illas auctoritate nostra inviolabiliter observari. Non obstante si aliquibus a sede apostolica sit indultum quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mencionem: contradictores auctoritate nostra, appellacione postposita, compescendo. Data Lugduni, kalendis Januarii pontificatus nostri anno primo.

Quocirca fraternitati vestre in virtute sancte obediencie, qua sedi apostolice supradicte tenemini, injungendo mandamus quatinus prefatum mandatum apostolicum in ecclesiis vestris cathedralibus per tres dies solempnes et festivos post exhibicionem presencium vobis factam immediate sequentes in processionibus solempnibus, astante populi multitudine, necnon in synodis et consistoriis,—archidiaconis nichilominus singulis per vestras dioceses constitutis eorumque officialibus demandantes ut in capitulis singulisque ecclesiis parochialibus et aliis congregacionibus, ubi populi occurrerit multitudo, publice legi et populo distincte, seriatim, et aperte exponi solicite procuretis,[1] ipsi etiam id procurent[1]—

[1] *Sic.*

idem quoque mandatum apostolicum per singula loca collegiata vestrarum diocesium publicari solempniter faciatis, ne ipsius mandati per tot loca et varia promulgati ignorancia futuris valeat temporibus haberi quomodolibet seu pretendi: premissa omnia taliter impleturi ut debita impendatur obediencia mandatori et in devocionis promptitudine illam domino nostro regi quam sibi debetis reverenciam ostendatis. Vos autem, frater episcope Karleoli, inspectis presentibus ipsas (retenta, si volueritis, copia earumdem) domino Candide Case episcopo exequendas celeriter destinetis: proviso quod tam vos quam ipse de die recep-
[Fo. 50b.] cionis presencium et de hiis que feceritis in premissis nos in virtute sancte obediencie supradicte infra quindecim dies a recepcione hujusmodi testificare curetis distinctius et aperte per vestras patentes litteras, harum seriem continentes. In Christo Jesu vestra valeat fraternitas reverenda. Data apud Lanum, v^to^ idus Junii anno gracie supradicto et pontificatus nostri primo.

Ego Ricardus de Clifton, Eboracensis diocesis, clericus, sacrosancte sedis apostolice notarius publicus, predictas litteras apostolicas vidi, palpavi, et inspexi, denique transcriptum cum originali examinavi et una cum magistro Willelmo de Estden et domino Roberto de Notingham clericis, testibus, diligencius ascultavi. Et quia per omnia reperi concordare premissisque omnibus, dum coram dicto domino archiepiscopo agerentur, interfui, de ma[ndato] ejusdem patris, hic meum signum et nomen subscripsi in fidem et testimonium premissorum, anno ab Incarnacione M° CCC^mo^ sexto, indictione quarta, nono die mensis Junii, apud Lanum coram testibus infrascriptis.

[*List of collectors of Pope Clement's crusading tenth in Scotland.*]

NOMINA COLLECTORUM DECIME IMPOSITE PER BIENNIUM PER DOMINUM PAPAM CLEMENTEM IN SCOCIA SUNT HEC.

In episcopatu Sancti Andree citra mare, abbates Sancte Crucis de Edenburg, de Neubotel; ultra mare, de Dunfermelin et de Cupre.

In episcopatu Glasguensi, abbates de Kelkou et de Jedd'.

In episcopatu Dumblanensi, abbas de Skamskynell.

In episcopatu Brechinensi, abbas de Abberbrothok.

In episcopatu Moraviensi, prior de Pluskardin.

In episcopatu Cathanensi, [[1] .]

[1] Blank in MS.

In episcopatu Candide Case, abbas de Tungeland.
In episcopatu Dunkeldensi, abbas de Scona.
In episcopatu Aberdenensi, abbas de Lundors.
In episcopatu Rossensi, abbas de Kinlos.
In episcopatu Ergadiensi, abbas Insule Missarum.
In episcopatu Sodorensi, abbas de Russy.

[Nether Denton R.—*Collation of Alan de Kele, with the reservation of pensions to the Bishop and Lanercost Priory.*]

Institucio domini Alani de Kele in ecclesia de Denton.

Johannes etc. Karleolensis episcopus dilecto in Christo filio domino Alano de Kele, presbitero, salutem, graciam et benedictionem. Ecclesiam parochialem de Denton, nostre diocesis, vacantem et ad nostram collacionem spectantem, tibi conferimus intuitu caritatis teque rectorem instituimus canonice in eadem: salvis pensionibus annuis duarum marcarum et dimidie nobis et successoribus nostris, episcopis Karleoli, et duarum marcarum et dimidie priori et conventui de Lanercost, debitis ab antiquo, ac nostre Karleolensis ecclesie et nostra in omnibus dignitate. Data apud Rosam, vij kalendas Augusti anno Domini M° CCC^mo^ sexto et pontificatus nostri quartodecimo.

[*Ordination at Clifton, Sept. 24, 1306.*]

Celebracio ordinum domini Johannis Dei gracia Karleolensis episcopi in ecclesia parochiali de Cliffeton, sue diocesis, die Sabati quatuor temporum mense Septembris anno Domini M° CCC^mo^ sexto et pontificatus sui quintodecimo.

Acoliti.

Magister Adam de Appleby.
Robertus de Tymperon.
Johannes de Culgayth.
Frater Robertus Sampson, de ordine Minorum.
Johannes de Tymperon.
Gamelus de Daker.
Thomas de Neubygging.

Subdiaconi.

Dominus Petrus de Brambre, rector ecclesie de Northbury,

Coventrensis et Lichfeldensis diocesis, per dimissorias domini Coventrensis et Lichfeldensis episcopi.

Frater Thomas de Elmeden,
Frater Thomas de Corbrigg,
Frater Robertus Sampson,
} de ordine Minorum.

Thomas de Penreth, ad titulum quinque marcarum sibi per cartam Alexandri de Capella, de Penreth, concessarum: in judicio exhibitam et probatam.

Robertus de Askeby, ad titulum v marcarum sibi per cartam magistri Willelmi de Brampton concessarum: in judicio exhibitam et probatam.

Henricus de Raghton, ad presentacionem magistri Henrici de Skipton.

Nicholaus de Askeby, ad titulum quatuor librarum sibi per cartam Johannis de Cotesford concessarum: in judicio exhibitam et probatam.

Henricus de Ulvedal, ad titulum xl solidorum sibi per cartam domini Michaelis de Harcla, militis, concessorum: in judicio exhibitam et probatam.

Willelmus Dauney, de Wyggeton, ad titulum v marcarum sibi per cartam domini Johannis de Wyggeton concessarum: in judicio exhibitam et probatam.

DIACONI.

Frater Gilbertus de Linkefeld,
Frater Johannes de Karleolo,
Frater Rogerus Pauli,
Frater Johannes de Craysothen,
} canonici Karleoli.

Dominus Hugo de Rovecestre, rector ecclesie de Ulvedal, Karleolensis diocesis.

Frater Willelmus de Qwykham, de ordine Montis Carmeli.

Johannes de Cokermue, ad titulum patrimonii in Cokermue, coram domino archiepiscopo Eboracensi probatum. Per dimissorias dicti domini Eboracensis hoc testantes.

[Fo. 51a.]

Petrus de Askelby, ad titulum quinque marcarum sibi per cartam J. filii J. de Helton concessarum: in judicio exhibitam et probatam. Per dimissorias domini Eboracensis.

Frater Johannes de Morpath,
Frater Johannes de Byker,
} de ordine Minorum.

PRESBITERI.

Symon de Thirnegarth, ad titulum quinque marcarum sibi per cartam domini J. de Denton, rectoris ecclesie Sancti Romald, concessarum : in judicio exhibitam et probatam. Per dimissorias domini Eboracensis.

Symon de Melmorby, ad titulum quinque marcarum sibi per cartam Walteri de Mumby de Melmorby, patris sui, concessarum : in judicio exhibitam et probatam.

Frater Johannes de Grindon, de ordine Predicatorum.

[*Dispensation for illegitimacy to a canon of Lanercost.*]

Symon, miseracione divina prior monasterii Beate Marie Magdalene de Lanercost, ordinis Sancti Augustini, Karleolensis diocesis, dilecto filio in Christo fratri Willelmo de Suthayk, dicti monasterii canonico, salutem et vere religionis ardorem. Litteras venerabilis patris domini Berengarii, Dei gracia tituli Sanctorum Nerei et Achilei presbiteri cardinalis, [recepimus in hec verba].

[Berengarius etc.] dilecto in Christo priori monasterii Beate Marie Magdalene de Lanercost, ordinis Sancti Augustini, Karleolensis diocesis, salutem in Domino. Regularis ordinis professoribus religionis favore non indigne aliqua a sede apostolica conceduntur que solent interdum aliis interdici. Cum igitur ex parte tua nobis fuerit humiliter suplicatum ut cum fratre Willelmo de Suthayk, canonico tui monasterii et professo, super defectu natalium quem patitur, de soluto genitus et soluta, sedes apostolica dispensare misericorditer dignaretur, nos attendentes quod ad religionem conversi—si in ea fuerint laudabiliter conversati—illegitimitatis macula non obstante, juris permissione licenter possunt ad omnes sacros ordines promoveri, auctoritate domini pape, cujus primarie curam gerimus, tibi committimus ut cum eodem canonico (suis meritis suffragantibus), quod defectu non obstante predicto possit in suis ordinibus ministrare et ad quasque ipsius ordinis dignitates seu officia citra abbaciam eligi valeat et assumi, dispenses misericorditer, prout secundum Deum anime sue saluti videris expedire. Data Burdegale, kalendis Julii pontificatus domini Clementis pape Quinti anno primo.

Nos itaque, consideratis attencius meritis et circumstanciis aliis vite et conversacionis tue laudabilis, que tibi ad hujusmodi dispensacionis graciam optinendam multipliciter suffragrantur, habita diligenti deliberacione cum venerabili patre et domino

Johanne, Dei gracia Karleolensi episcopo, qui sui gracia in presenti expedicione negocii interesse volebat, auctoritate dictarum litterarum tecum ut dicto defectu quem pateris, de soluto et soluta genitus, non obstante omnes ordinis tui dignitates et officia secundum formam dictarum litterarum eligi valeas et assumi, misericorditer dispensamus. In cujus rei testimonium et memoriam majorem sigillum predicti patris et domini Karleolensis episcopi una cum sigillo nostro presentibus apponi procuravimus. Data Karleoli, viij° idus Novembris anno Domini M° CCC^mo^ sexto.

[*Bishop Halton having paid his procuration to the Legate, nothing is to be exacted from him in respect of the churches "annexed to his table" in the diocese of Durham, but the vicars thereof are to pay their due proportion.*]

Venerabili in Christo patri, domino . . . episcopo Dunelmic, seu ejus vicario sive locum tenenti, Petrus, miseracione divina Sabinensis episcopus, apostolice sedis nuncius, salutem in Domino. Cum venerabilis pater, dominus J. Karleolensis episcopus, procuracionem nobis ab eo debitam, prout ad eum pertinuit, integre duxerit persolvendam, et in diocesi vestra nonnullas ecclesias habeat quarum bona, possessiones et redditus sunt episcopali sue mense annexa, ut asserit, deputata capellanis seu vicariis ecclesiarum ipsarum congrua porcione, sive quarum amminiculo procuracionem predictam nobis commode persolvere minime potuisset, volumus et presencium vobis tenore precipimus et mandamus quatinus de bonis, possessionibus et redditibus ecclesiarum predictarum nomine procuracionis nostre nichil penitus exigatis : attencius provisuri quod a capellanis seu vicariis earumdem, pro quantitate porcionis contingentis eosdem, pro procuracione debita quod justum fuerit exigere et recipere studeatis juxta traditam per alias nostras litteras vobis formam. In cujus rei testimonium presentibus litteris sigillum nostrum duximus appendendum. Data Karleoli, kalendis Aprilis.

[*Similarly with regard to the Bishop's churches in the diocese of Coventry and Lichfield.*]

Consimilis littera ejusdem date emanavit domino Coventrensi et Lichfeldensi episcopo, seu ejus vicario vel locum tenenti, pro ecclesiis domini J., Dei gracia Karleolensis episcopi, in episcopatu ejusdem Coventrensis et Lichfeldensis episcopi existentibus.

[Fo. 51b.]

[*Ordination at Dalston, Dec. 17, 1306.*]

CELEBRACIO ORDINUM DOMINI JOHANNIS DEI GRACIA KARLEOLENSIS EPISCOPI IN ECCLESIA PAROCHIALI DE DALSTON, SUE DIOCESIS, DIE SABATI QUATUOR TEMPORUM MENSE DECEMBRIS ANNO DOMINI M° CCC^mo SEXTO ET PONTIFICATUS SUI QUINTODECIMO.

ACOLITI.

Frater Johannes Harays, } canonici Karleoli.
Frater Johannes de Hoton, }
Johannes de Brampton.
Frater Adam del Holm, de ordine Predicatorum.

SUBDIACONI.

Magister Adam de Appelby, rector ecclesie de Ulvysby, Karleolensis diocesis.

Frater Ricardus de Alnewyk, } de ordine Carmeli.
Frater Alexander de Alnewyk, }

Frater Thomas de Welteden, } de ordine Predicatorum.
Frater Adam de Castro, }
Frater Johannes de Wyrsdal, }
Frater Adam de Holm, }

Willelmus de Cokerham, vicarius ecclesie de Dalton, Eboracensis diocesis, per dimissorias domini Eboracensis archiepiscopi.

Dominus Ricardus de Askeby, rector medietatis ecclesie de Ayketon, Karleolensis diocesis.

Frater Nicholaus de Brampton, canonicus de Lanercost.

Andreas de London, rector ecclesie de Kirkepatrik Cro, Glasguensis diocesis, per dimissorias domini Glasguensis episcopi.

Johannes de Glassan, Karleolensis diocesis, ad titulum quinque marcarum sibi per cartam domini Ricardi le Brun, militis, concessarum : in judicio exhibitam et probatam.

Willelmus de Hautewesel, ad presentacionem prioris et conventus Beate Marie Karleoli.

DIACONI.

Dominus Willelmus de Ardington, rector capelle de Sudleye, Wygorniensis diocesis, per dimissorias domini Wygorniensis episcopi.

Frater Johannes de Ireby, de ordine Predicatorum.

Symon de Caldecotes, Karleolensis diocesis, ad titulum quinque marcarum sibi per cartam Johannis de Capella concessarum : in judicio exhibitam et probatam.

PRESBITERI.

Dominus Willelmus de Qweteleye, rector ecclesie de Sulham, Sarisburiensis diocesis, per dimissorias domini Sarisburiensis episcopi.

Frater Willelmus de Qwykham, de ordine Carmeli.

Willelmus de Craystok, ad presentacionem magistri Johannis de Boghes.

Walterus de Arthereth, rector ecclesie de Beaumont, Karleolensis diocesis.

Johannes de Dolfemby, Karleolensis diocesis, ad titulum quinque marcarum sibi per cartam Ricardi de Langwathby concessarum : in judicio exhibitam et probatam.

Dominus Johannes de Cokermue, ad titulum quinque marcarum sibi per cartam Ricardi de Scocia, patris sui, concessarum : in judicio exhibitam et probatam. Per dimissorias domini Eboracensis.

Willelmus de Blencogou, Karleolensis diocesis, ad titulum quinque marcarum sibi per cartam domini Thome de Neuton concessarum : in judicio exhibitam et probatam.

[Fo. 52a.]

[*Ordination at Dalston, Feb. 18, 1306-7.*]

CELEBRACIO ORDINUM DOMINI JOHANNIS DEI GRACIA KARLEOLENSIS EPISCOPI IN ECCLESIA PAROCHIALI DE DALSTON, SUE DIOCESIS, DIE SABATI QUATUOR TEMPORUM MENSE FEBRUARII ANNO DOMINI M° CCC^mo^ SEXTO ET PONTIFICATUS SUI QUINTODECIMO.

ACOLITI.

Symon de Balderston, rector ecclesie Sancti Michaelis super Wyr, Eboracensis diocesis, per dimissorias domini Eboracensis.

Johannes dictus Christofre, de London, per dimissorias domini Londoniensis episcopi.

Hugo de Craisothen, Eboracensis diocesis, per dimissorias domini Eboracensis archiepiscopi.

SUBDIACONI.

Frater Johannes de Kirkeby,
Frater Johannes de Qwyteheron, } canonici Karleoli.

Willelmus Mayneman, de Gamelsby, Karleolensis diocesis, ad titulum quinque marcarum sibi per cartam domini Willelmi le Latimer, militis, concessarum : in judicio exhibitam et probatam.

Thomas de Brakenthwayt, Karleolensis diocesis, ad titulum quinque marcarum sibi per cartam domini Ricardi de Horseley concessarum : in judicio exhibitam et probatam.

Ricardus North, rector ecclesie de Seneqwarth, Glasguensis diocesis, per dimissorias domini Glasguensis episcopi.

Symon de Balderston, rector ecclesie Sancti Michaelis super Wyr, Eboracensis diocesis, per dimissorias domini Eboracensis.

Remundus de la More, rector ecclesie de Seynesbyri, Wygorniensis diocesis, per dimissorias domini Wygorniensis episcopi.

Johannes Belle, de Brideskirk, Karleolensis diocesis, ad titulum quadraginta solidorum sibi per cartam Thome, domini de Redmane, concessarum : in judicio exhibitam et probatam.

Willelmus de Waverton, Karleolensis diocesis, ad titulum quinque marcarum sibi per cartam Symonis de Qwynhou concessarum, etc.

DIACONI.

Dominus Johannes de Kirkeby, rector ecclesie de Wyggeton, Karleolensis diocesis.

Magister Adam de Appelby, rector ecclesie de Ulvysby, Karleolensis diocesis.

Ingelardus de Warle, rector ecclesie de Croppethorn, Wygorniensis diocesis, per dimissorias domini Wygorniensis.

Willelmus de Cokerham, vicarius ecclesie parochialis de Dalton, Eboracensis diocesis, per dimissorias domini Eboracensis archiepiscopi.

Johannes de Torring, rector ecclesie de Acton Burnel, Coventrensis et Lichfeldensis diocesis, per dimissorias domini Coventrensis et Lichfeldensis episcopi.

Nicholaus de Schepeyer, rector ecclesie de Coueston, Sarisburiensis diocesis, per dimissorias domini Sarisburiensis episcopi.

Frater Thomas de Burton, canonicus de Hepp.

Robertus filius Johannis de Askeby, Karleolensis diocesis, ad titulum quinque marcarum sibi per cartam domini Willelmi de Brampton, rectoris ecclesie de Askeby, concessarum : in judicio exhibitam et probatam.

Johannes de Glassen, Karleolensis diocesis, ad titulum v marcarum sibi per cartam domini Ricardi le Brun, militis, concessarum, etc.

PRESBITERI.

Dominus Petrus de Askelby, Eboracensis diocesis, per dimissorias domini Eboracensis archiepiscopi, ad titulum quinque marcarum sibi per cartam Johannis de Helton concessarum: in judicio exhibitam et probatam.

Frater Petrus de Ribeton,
Frater Robertus de Cumbton,
Frater Thomas de Ribeton,
} monachi de Holm.

[Fo. 52b.]

[*Ordination at the Cathedral, March 11, 1306-7.*]

CELEBRACIO ORDINUM DOMINI J. DEI GRACIA KARLEOLENSIS EPISCOPI IN ECCLESIA SUA CATHEDRALI KARLEOLI DIE SABATI QUA CANTATUR "SICIENTES" ANNO DOMINI M° CCC^mo SEXTO.

DIACONUS.

Johannes de Southskelf, rector medietatis ecclesie Beate Marie ad portam castri Eboraci, per dimissorias domini Eboracensis archiepiscopi.

PRESBITERI.

Dominus Petrus de Brambre, rector ecclesie de Norbury, Coventrensis et Lichfeldensis diocesis, per dimissorias domini Coventrensis et Lichfeldensis episcopi.

Dominus Thomas de Portington, rector ecclesie de Taynton, Herefordensis diocesis, per dimissorias domini Herefordensis episcopi.

Dominus Johannes de Torring, rector ecclesie de Acton Burnel, Coventrensis et Lichfeldensis diocesis, per dimissorias domini Coventrensis et Lichfeldensis episcopi.

[*Ordination at the Cathedral, March 25, 1307.*]

CELEBRACIO ORDINUM DOMINI J. DEI GRACIA KARLEOLENSIS EPISCOPI IN ECCLESIA SUA CATHEDRALI KARLEOLI SABATO SANCTO PASCHE ANNO DOMINI M° CCC^mo SEPTIMO ET PONTIFICATUS SUI QUINTODECIMO.

ACOLITI.

Thomas de Hurthewrth, Dunelmensis diocesis, per dimissorias

domini Stephani de Malo Lacu, archidiaconi Clivelandie, domini Dunelmensis episcopi in remotis agentis vicarii generalis.

Johannes de Rosselione, canonicus ecclesie cathedralis Gebenensis,[1] per dimissorias domini Gebenensis episcopi.

Magister Henricus de Karleolo.

SUBDIACONUS.

Willelmus de Sancto Audomaro, canonicus ecclesie Sabinensis et prebendarius, clericus et familiaris comensalis venerabilis patris domini Petri, Sabinensis episcopi cardinalis: ad mandatum ipsius speciale.

DIACONI.

Bertrandus de Turre, rector ecclesiarum de Casalibus et de Pluma et archipresbiter Bruliensis, Agenensis diocesis,[2] per dimissorias domini Agenensis episcopi.

Andreas de London, rector ecclesie de Kirkepatrik Cro, Glasguensis diocesis, per dimissorias domini Glasguensis episcopi.

Willelmus de Pikering, ad presentacionem dominorum abbatis et conventus Beate Marie Eboraci et ad titulum vicarie de Gaynesford, Dunelmensis diocesis.

Matheus de Herice, rector ecclesie de Morton in valle de Esk, Glasguensis diocesis, per dimissorias domini Glasguensis episcopi.

Dominus Symon de Balderston, rector ecclesie Sancti Michaelis super Wyr, Eboracensis diocesis, per dimissorias domini Eboracensis.

Frater Nicholaus de Lanercost, canonicus ejusdem.

PRESBITERI.

Dominus Alfonsus Petri, abbas Sancti Spiritus ecclesie secularis, Samorensis diocesis,[3] clericus domini Cardinalis, per dimissorias domini Samorensis episcopi.

Dominus Willelmus de Cokerham, vicarius ecclesie de Dalton, Eboracensis diocesis, per dimissorias domini Eboracensis archiepiscopi.

Magister Adam de Appelby, rector ecclesie parochialis de Ulvesby, Karleolensis diocesis.

Dominus Henricus de Helpeston, rector ecclesie parochialis de Cliburne, Karleolensis diocesis.

[1] Geneva (Gebenna). [2] Agen, in France. [3] Zamora, in Spain.

Dominus Ingelwardus de Warleye, rector ecclesie de Cropethorn, Wygorniensis diocesis, per dimissorias domini Wygorniensis.

[Fo. 53a.]

[CASTLE SOWERBY R.—*Appropriation of the church to the Prior and Convent of Carlisle, specially for the repair of the Cathedral after the great fire. A vicarage is ordained, to be held by one of their canons, who shall serve the church by a secular priest.*]

LITTERA DE APPROPRIACIONE ECCLESIE DE SOURBY.

Johannes etc. Karleolensis episcopus dilectis in Christo filiis priori et conventui nostre cathedralis Karleoli, salutem, graciam et benedictionem. Licet ex officii pastoralis debito ac paterne compassionis affectu subditorum oppressionibus succurrere teneamur, pro vestris tamen incomodis amovendis eo propensius cogitare astringimur quo vos in vinea Domini per regulares observancias Deo placabiles, hospitalitatem honorabilem et alia multiplicia caritatis opera novimus vigilancius laborare—necnon eo fervencius quo, antequam ad solicitudinem episcopalis regiminis (quamquam indigne) divina providencia nos vocaret, fuimus unus vestrum. Sane ad lamentabilem statum ecclesie nostre predicte ac vestre, per repentini incendii voraginem jam consumpte, necnon ad alia loca vestra nonnulla per sevientem Scottorum incursum, depredaciones innumeras et hostiles invasiones eorumdem multiplices in favillam et cineres (proch dolor!) jam redacta, aliis bonis vestris penitus sic consumptis quod ad reparacionem ipsius ecclesie et onera incumbencia facultates quas impresenciarum habetis sufficere non poterunt (ut deceret), oculos nostros compassionabiliter dirigentes intimeque pensantes quod ob cotidianum adventum regalis exercitus per vos ac frequentem aliorum superveniencium concursum vestra hospitalitas, que ad premissa minus sufficit, plus solito aggravatur, inducimur obnixius et artamur ut in tanta necessitate ob celeriorem reparacionem ipsius ecclesie, ipsius decorem cultusque divini augmentum per bonorum temporalium incrementum vobis et ecclesie nostre jam dicte, quatenus sine lesione nostre jurisdictionis episcopalis possumus, congrue succurramus. Invocato igitur Christi nomine, ecclesiam parochialem de Sourby, nostre diocesis, cum omnibus suis juribus et pertinenciis, cujus advocacionem princeps magnificus dominus noster dominus E., Dei gracia Anglie rex illustris, per cartam suam (quam vidimus) vobis dedit caritatis intuitu et concessit, fabrice prefate ecclesie nostre et, ut post reparacionem ejusdem congruam in

eadem feliciter augeatur numerus servitorum, vestris usibus perpetuis temporibus applicandam et in usus vestros proprios possidendam ob causas predictas ecclesie nostre predicte vobisque et successoribus vestris conferimus auctoritate pontificali speciali et donamus et appropriamus perpetualiter per presentes. Porro de vestre consciencie puritate et sancte religionis jugi vigilancia, quas circa salutem animarum, hospitalitatem et alia caritatis opera novimus vos habere, et ut vobis et successoribus vestris ex ista appropriacione nostra uberior fructus comodi temporalis accrescat, concedimus pro nobis et successoribus nostris et statuimus auctoritate ordinaria in hiis scriptis quod, cedente vel decedente rectore ejusdem ecclesie qui nunc est, unus canonicus idoneus domus vestre ad vicariam et curam ipsius ecclesie habendam per vos nobis et successoribus nostris canonice presentetur, quem quidem canonicum ad ipsam vicariam et curam ipsius parochie tanquam vicarium perpetuum sine difficultate admitti volumus et decernimus admittendum. Qui quidem canonicus ut vicarius in ipsa ecclesia resideat, onera ordinaria sustineat, ipsique ecclesie per presbiterum secularem deserviat honeste et laudabiliter in divinis. Ad cujus sustentacionem et onera sibi imposita supportanda domos et mansum ipsius rectoris ad inhabitandum, cum medietate dominicorum terre et prati ipsius ecclesie, cum omnibus obvencionibus altaragii et decimis minoribus prefate ecclesie (decimis garbarum bladorum et alia medietate dominicorum terre et prati dumtaxat exceptis) auctoritate predicta perpetuo assignamus: ita tamen quod, quocienscunque dictus prior seu aliquis de capitulo nostro predicto aut aliquis nomine eorumdem ad ipsam ecclesiam accesserint vel declinare voluerint in domibus predictis, hospicium habeant et morentur in eisdem pro sue libito voluntatis. Liceat etiam predicto priori in area seu manso ipsius ecclesie grangias pro decimis suis reponendis construere liberumque exitum et ingressum ad easdem habeat sine contradictione ipsius vicarii, qui pro tempore fuerit, et suorum. Et licet canonicus regularis, in ecclesia parochiali vicarius sic effectus, ab obediencia sui prioris sit penitus absolutus, tamen ob regularis observancie honestatem volumus et irrefragabiliter statuimus ac etiam ordinamus quod idem canonicus et vicarius ob commodum monasterii religionisque honestatem ex causa racionabili nobis et successoribus nostris assignata legitime et ostensa per priorem Karleoli, qui pro tempore fuerit, ad monasterium suum possit licite revocari aliusque canonicus ad dictam vicariam presentari in forma superius annotata: salva nostre Karleolensis ecclesie predicte ac nostra in omnibus dignitate. In cujus rei testimonium perpetuum presens scriptum sigilli nostri

munimine fecimus roborari. Data apud Rosam, ix kalendas Maii in festo Sancti Georgii anno Domini M° CCC^mo septimo et pontificatus nostri quintodecimo.

[*Ordination at Dalston, May 20, 1307.*]

CELEBRACIO ORDINUM DOMINI JOHANNIS DEI GRACIA KARLEOLENSIS EPISCOPI IN ECCLESIA PAROCHIALI DE DALSTON DIE SABATI IN VIGILIA SANCTE TRINITATIS ANNO DOMINI M° CCC^mo SEPTIMO ET PONTIFICATUS SUI QUINTODECIMO.

ACOLITI.

Dominus Nicholaus de Hastang, Coventrensis et Lichfeldensis diocesis, per dimissorias domini Coventrensis et Lichfeldensis episcopi.

Robertus de Ormysheved, Karleolensis diocesis.

Frater Bricius de Thirlewalle,
Frater Thomas de Scheneden,
Frater Symon de Jeddeworth,
} canonici de Jeddeworth,
per dimissorias custodis spiritualitatis Glasguensis diocesis

Frater Johannes de Kirkeby,
Frater Willelmus de Boghes,
Frater Robertus de Nignebonkes,
Frater Thomas de Norton,
} de ordine Minorum.

Frater Johannes de Aylesbury,
Frater Walterus de Neubygging,
} de ordine Carmeli.

[Fo. 53b.]

SUBDIACONI.

Frater Adam de Levington,
Frater Bricius de Thirlewalle,
Frater Thomas de Snieldon,
Frater Symon de Forfare,
} canonici de Jeddeworth,
per dimissorias custodis spiritualitatis Glasguensis diocesis.

Frater Walterus de Chatton,
Frater Johannes de Kirkeby,
Frater Willelmus de Boghes,
Frater Robertus de Nignebankes,
Frater Thomas de Norton,
} de ordine Minorum.

Frater Ricardus de Smitheton, de ordine Predicatorum.

Frater Johannes de Aylesbury,
Frater Walterus de Neubiging,
} de ordine Carmeli.

Rogerus filius Ricardi de Hextildisham, ad titulum patrimonii sufficientem, per dimissorias domini Eboracensis archiepiscopi predictum titulum testificantes.

Robertus de Clareburgh, Eboracensis diocesis, ad titulum prioratus de Hextildisham, per dimissorias domini Eboracensis archiepiscopi.

Michaelis de Pelgrone, rector ecclesie de Kilmoronok, Glasguensis diocesis, per dimissorias custodis spiritualitatis Glasguensis diocesis.

Symon de Spaldyk, Lincolniensis diocesis, ad titulum iiij^{or} marcarum sibi per cartam Johannis dicti Senescall de Jeddeworth concessarum, per dimissorias Lincolniensis episcopi.

Robertus de Newerk, de Karleolo, ad titulum xl solidorum sibi per cartam Willelmi filii Henrici filii Ivonis de Karleolo concessorum: in judicio exhibitam alias et probatam.

Thomas Grang, Karleolensis diocesis, ad titulum xl solidorum sibi per cartam Hugonis de Talkan concessorum: in judicio exhibitam et probatam.

DIACONI.

Frater Thomas de Ruda,
Frater Willelmus de Culgayth,
Frater Willelmus de Morpath,
} canonici de Hextildisham, per dimissorias domini Eboracensis archiepiscopi.

Frater Thomas de Elmeden,
Frater Robertus Sampson,
Frater Thomas de Corebrig,
} de ordine Minorum.

Frater Ricardus de Alnewyk,
Frater Alexander de Alnewyk,
} de ordine Carmeli de Appelby.

Dominus Ricardus North, rector ecclesie de Seneqwarth, Glasguensis diocesis, per dimissorias domini Glasguensis episcopi.

Willelmus de Waverton, ad titulum v marcarum sibi per cartam Symonis de Qwynhou concessarum: in judicio exhibitam et probatam.

Willelmus de Gamelsby, ad titulum v marcarum sibi per cartam domini Willelmi Latimer, militis, concessarum: in judicio exhibitam et probatam.

Willelmus filius Adam Fullonis, de Penreth, ad titulum v marcarum sibi per cartam Willelmi de Blencou junioris concessarum: in judicio etc.

Willelmus de Hautewysel, ad presentacionem domini prioris Karleoli.

Walterus de Cokermue, ad titulum annui redditus quinque marcarum in Brigham ex dono Thome de Huthwait, per dimissorias domini Eboracensis archiepiscopi dictum titulum testificantes.

Adam de Castelkayrok, ad titulum xl solidorum sibi per cartam Johannis de Farlam concessorum : in judicio exhibitam et probatam.

Henricus de Ulvedal, ad titulum v marcarum sibi per cartam domini Andree de Harcla, militis, concessarum : in judicio exhibitam et probatam.

Willelmus Dauney, de Wyggeton, ad titulum v marcarum sibi per cartam domini J. de Wyggeton, militis, concessarum : in judicio exhibitam et probatam.

Adam de Loudian, de Hextildisham, ad titulum patrimonii sufficientem, per dimissorias domini Eboracensis dictum titulum testificantes.

Henricus de Raghton, ad presentacionem magistri H. rectoris ecclesie de Scaleby, Karleolensis diocesis.

Thomas de Brakenthwayt, ad titulum v marcarum sibi per cartam domini Ricardi de Horseley, militis, concessarum : in judicio exhibitam et probatam.

Hugo de Craysothyn, Eboracensis diocesis, per dimissorias domini Eboracensis titulum suum quinque marcarum testificantes.

Johannes de Laycestre, Lincolniensis diocesis, per dimissorias domini Lincolniensis, ad titulum xl solidorum sibi per cartam domini Jacobi de Harcla concessorum : in judicio exhibitam et probatam.

[Fo. 54a.]

PRESBITERI.

Frater Thomas de Qwyteherne, } canonici de Hextildisham.
Frater Hugo de Thorneton, }

Frater Robertus de Eboraco, de ordine Carmeli de Appelby.

Dominus Andreas de London, rector ecclesie de Kirkepatrik Cro, Glasguensis diocesis, per dimissorias domini Glasguensis episcopi.

Johannes de Scaleby, ad titulum v marcarum sibi per cartam Henrici de Malton concessarum : in judicio exhibitam et probatam.

Dominus Matheus, rector ecclesie de Morton, Glasguensis diocesis, per dimissorias domini Glasguensis episcopi.

Dominus Radulphus Franceys, rector ecclesie de Joneston, Glasguensis diocesis, per dimissorias domini Glasguensis episcopi.

[ADDINGHAM R.—*Dispensation to the Rector to study for two years at Oxford and Cambridge.*]

VI Idus Junii anno Domini M° CCC^mo septimo dispensatum fuit per dominum episcopum cum magistro Willelmo de Beverlaco, rectore ecclesie parochialis de Adingham, Karleolensis diocesis, quod possit stare in studio apud Oxoniam et Cantebrigiam per biennium a data superius annotata, et quod interim possit ad firmam dimittere personis habilibus suam ecclesiam antedictam.

[DALSTON V.—*The Bishop assigns a portion for the endowment of a vicar out of his impropriate rectory of Dalston.*]

ASSIGNACIO VICARIE DE DALSTON.

Omnibus Christi fidelibus ad quorum noticiam pervenerit hec scriptura J. etc. Karleolensis episcopus, salutem in amplexibus Salvatoris. Licet circa subditorum nostrorum tranquillitatem et pacem laborare summis vigiliis teneamur, clericis tamen nostris et ministris in nostri subsidium et levamen curam habentibus animarum eo specialius astringimur subvenire quo dissencionis et incertitudinis exclusa materia quiecius in domo Domini valeant immorari. Sane ecclesia parochiali de Dalston, nostre diocesis, mense nostre episcopali appropriata et concessa, ad sustentacionem vicarii ejusdem viginti marcas annuatim cum una area competenti tenor ipsius appropriacionis sub certis modis et formis solvi et assignari voluit et decrevit. Verum quia vicario perpetuo in ecclesia parochiali instituto onus residencie personalis incumbit (extra parochiam suam vagari non debet, immo semper tanquam pastor solicitus presens esse, juxta scienciam sibi a Domino traditam paratus ad informandum gregem sibi commissum verbo pariter et exemplo), justum reputamus et equum ut ex proventibus ipsius ecclesie ad sui sustentacionem et alia onera incumbencia certa porcio sibi auctoritate pontificali perpetuis temporibus assignaretur, ne qui spiritualia seminat interdum cogatur querere necessaria in remotis. Ex premissis igitur causis, deliberato consilio informati, vicariis perpetuis prefate ecclesie nostre de Dalston per nos et successores nostros imperpetuum preficiendis auctoritate nostra ordinaria assignamus aream principalem ex parte orientali ipsius

ecclesie, quam rectores ejusdem inhabitare consueverunt, cum edificiis suis (salva nobis et successoribus nostris una placea competenti pro quadam grangia constituenda ibidem cum libero et sufficienti exitu et ingressu), ac omnes obvenciones altaragii et minores decimas ad ipsam ecclesiam spectantes: exceptis decimis lane, agnorum, vitulorum, molendini, ac vivis mortuariis, terris, tenementis et redditibus ad ipsam ecclesiam pertinentibus (preter aream antedictam), que omnia cum decimis garbarum cujuscunque bladi crescentis infra dictam parochiam ubicunque nobis et successoribus nostris specialiter reservamus. Vicarius vero, qui pro tempore fuerit, ipsi ecclesie suis sumptibus deserviet in divinis, parochianis sacramenta canonice ministrabit, sinodalia persolvet, archidiaconum (sicut convenit) procurabit, ac libros et alia ornamenta dicte ecclesie bene custodiet et honeste, onera omnia extraordinaria qualitercunque contingencia pro rata sue porcionis (quam ad centum solidos taxamus) de cetero sustinebit. Et quia levite et ministri ecclesiastici deservientes altari pre ceteris quibusdam immunitatibus gaudere debent, omnes vicarios ipsius ecclesie qui pro tempore fuerint a prestacione decimarum de animalibus suis quibuscunque pro nobis et successoribus nostris auctoritate predicta quietos esse decernimus et immunes. In cujus rei testimonium presentem assignacionem nostram perpetuo valituram sigilli nostri munimine fecimus roborari. Data apud Rosam, iiij^to^ nonas Julii anno Domini M° CCC^mo^ septimo et pontificatus nostri quintodecimo.

[Bowness R.—*Richard le Brun presents Roger de Northburgh.*]

PRESENTACIO AD ECCLESIAM DE BOUNEYS.

Reverendo in Christo patri domino J. Dei gracia Karleolensi episcopo Ricardus le Brun, miles, salutem, reverenciam et honorem. Ad ecclesiam de Bouneys, vestre diocesis, vacantem et ad meam donacionem spectantem dilectum clericum nostrum Rogerum de Northburgh paternitati vestre presento intuitu caritatis, vos attencius deprecans et requirens quatinus dictum Rogerum ad ecclesiam predictam admittere et personam instituere velitis in eadem. In cujus rei testimonium has litteras presentes vobis mitto sigillo meo consignatas. Data apud Kirkandres, die Lune proxima post festum apostolorum Petri et Pauli anno Domini M° CCC^mo^ septimo.

[Bridekirk V.—*Resignation of Robert Guer.*]

Resignacio vicarie de Bridekirk.

Reverendo patri in Christo domino J. Dei gracia Karleolensi episcopo suus devotus filius Robertus Guer, perpetuus vicarius de Bridekirk, se ipsum cum omni obediencia, reverencia pariter et honore. Cum nuper ad vicariam de Bridekirk per puram resignacionem domini Rogeri de Eboraco, quondam vicarii ejusdem, fuissem per veros patronos, dominum (scilicet) priorem de Gyseburn et ejusdem loci conventum, vobis tanquam patri et prelato presentatus ac a vobis admissus et institutus in eadem, ego, senciens me modo debilem et corporis mei languore perpetuo pregravatum ita quod predictam vicariam non possum ulterius retinere nec curam eidem annexam, in sacris manibus vestris resigno simpliciter et absolute per presentes. In cujus rei testimonium sigillum meum presentibus est appensum; et quia sigillum meum pluribus est incognitum, sigillum decanatus Clivelandie per modum collacionis hiis litteris apponi procuravi. Data apud Gyseburn, vij^mo^ kalendas Julii anno Domini M° CCC^mo^ septimo.

[Fo. 54b.]

[*The Prior and Convent of Gisburn present Robert Urri, one of their canons.*]

Presentacio ad vicariam de Bridekirk.

Venerabili in Christo patri domino J.° Dei gracia Karleolensi episcopo sui humiles et devoti prior et conventus prioratus de Gyseburn, salutem, obedienciam omnimodam et honorem. Ad vicariam ecclesie de Bridekirk, vestre diocesis, vacantem per resignacionem domini Roberti Guer nostri concanonici et confratris, quondam vicarii ejusdem, et ad nostram presentacionem spectantem, dilectum nobis in Christo fratrem Robertum Urri, concanonicum nostrum, vobis tenore presencium presentamus: rogantes humiliter et devote quatinus ipsum ad predictam vicariam admittere velitis intuitu caritatis et quod vestrum est ulterius in hac parte exequi graciose. In cujus rei testimonium sigillum capituli nostri presentibus est appensum. Data apud Gyseburn, ij kalendas Julii anno Domini M° CCC^mo^ septimo.

Et mandata fuit littera inquisicionis officiali super eadem. Qua inquisicione facta et remandata, prefatus dominus Robertus est admissus et institutus in eadem.

[*Robert Urry is instituted.*]

Institucio in eadem.

Johannes miseracione divina Karleolensis episcopus dilecto in

Christo filio fratri Roberto Urry, canonico Gyseburnie, salutem, graciam et benedictionem. Ad vicariam ecclesie parochialis de Brideskirk, nostre diocesis, vacantem, ad quam per religiosos viros priorem et conventum Gysburnie, veros patronos ejusdem, nobis presentatus existis, te admittimus intuitu caritatis vicariumque perpetuum instituimus canonice in eadem : salva nostre cathedralis ecclesie ac nostra in omnibus dignitate. Data apud Rosam, xvij^mo^ kalendas Augusti anno Domini M° CCC^mo^ vij^mo^ et pontificatus nostri quintodecimo.

[Bowness R.—*Institution of the presentee.*]

Item littera inquisicionis mandata fuit officiali super ecclesie de Bouneys, qua inquisicione remandata admissus est presentatus et institutus in forma que sequitur.

[1]Johannes miseracione divina Karleolensis episcopus dilecto in Christo filio domino Rogero de Northburgh, acolito, salutem, graciam et benedictionem. Ad ecclesiam parochialem de Bouneys, nostre diocesis, per mortem domini Rohaldi, nuper rectoris ejusdem, vacantem, ad quam per dominum Ricardum le Brun, militem, verum patronum ejusdem, nobis presentatus existis, te admittimus rectoremque instituimus canonice in eadem : salva nostre Karleolensis ecclesie ac nostra in omnibus dignitate. Data apud Rosam, iiij^to^ idus Julii anno Domini M° CCC^mo^ vij^mo^ et pontificatus nostri quintodecimo.

[Scaleby R.—*Collation of John de Blencow, saving a pension to the Bishop.*]

Institucio in ecclesia de Scaleby.

Johannes miseracione divina Karleolensis episcopus dilecto in Christo filio magistro Johanni de Blenco, acolito, salutem, graciam et benedictionem. Ecclesiam parochialem de Scaleby, nostre diocesis, per mortem magistri Henrici de Skippeton, nuper rectoris ejusdem, vacantem et ad nostram collacionem spectantem, tibi conferimus intuitu caritatis teque rectorem instituimus canonice in eadem : salvis nobis et successoribus nostris annua pensione viginti solidorum, consueta et debita ab antiquo in festo Sancti Michaelis annis singulis persolvenda, nostreque cathedralis ecclesie ac nostra in omnibus dignitate. Data apud Rosam, xj^mo^ kalendas Augusti anno Domini M° CCC^mo^ vij^mo^ et pontificatus nostri quintodecimo.

Eodem die fuit directa domino archidiacono Karleoli inductionis littera pro eodem.

---

[1] In margin : "Institucio Rogeri de Northburgh in ecclesia de Bouneys."

[*Inspeximus and confirmation by the Archbishop of York of the appropriation of Dalston church to the see of Carlisle, and ordinance of a vicarage.*]

ACCEPTACIO ET APPROBACIO DOMINI ARCHIEPISCOPI EBORUM SUPER APPROPRIACIONE ECCLESIE DE DALSTON.

Noverint universi quod nos Willelmus permissione divina Eboracensis archiepiscopus, Anglie primas, litteras bone memorie Thome Eboracensis archiepiscopi, predecessoris nostri immediati, patentes sigillo suo majori signatas, non cancellatas nec rasas set omni suspicione carentes, inspeximus, tenorem qui sequitur continentes.

Universis sancte matris ecclesie ad quorum noticiam pervenerit hec scriptura Thomas Dei gracia Eboracensis archiepiscopus, Anglie primas, salutem in amplexibus Salvatoris. Quamquam ex pastorali officio ac viscerosa compassione teneamur depressionibus succurrere subditorum, fratrum tamen coepiscoporum incommodis eo favorabiliori ac proniori affectu nos convenit (cum opus fuerit) subvenire quo nobiscum in vinea Domini ad lucrifactionem ipsos in partem sollicitudinis nostre vocatos novimus vigilancius laborare. Quapropter nos ad statum cathedralis ecclesie Karleolensis suffraganee nostre, dudum per repentini incendii voraginem una cum domibus et edificiis prioratus ejusdem contigui ad extremam consumpcionem (quod est dolendum) redacte, ac etiam ad statum fratris nostri precordialissimi domini Johannis Dei gracia Karleolensis episcopi (cujus postmodum maneria et nonnulla loca alia ad episcopatum Karleoli spectancia per sevientem Scottorum incursum et quedam eorumdem maneriorum postea reparata, de quibus maxima pars sustentacionis ejusdem episcopi dependebat, per iteratum ipsorum regressum in cineres sunt redacte, animalibus et bonis inventis abductis penitus et consumptis, adeo quod bona et facultates episcopatus predicti ad cotidiana episcopo predicto onera sufficere non poterunt ut deceret, nisi Summus Largitor bonorum manum apposuerit adjutricem), pietatis oculos compassionabiliter dirigentes pensantesque quod ob cotidianum ad guerram Scocie populi per fratrem predictum transeuntis adventum et propter aliorum de partibus vicinis supervenienciun frequentem concursum ejusdem patris hospitalitas, que ad premissa minus sufficit, amplius solito aggravatur, attendentes insuper quod idem episcopus in civitate sua Karleoli, ad quam ex cura incumbenti eidem crebros oportebit accessus, proprium (quod inhonestum et grave cernitur) mansum non habet in quo (ut statum tanti patris deceret) necessitate urgente aut utilitate poscente possit commode receptari; propter quod tam ipse quam predecessores sui ad manerium de Rosa infra parochiam de

Dalston, Karleolensis diocesis, situatum, per Scottos (ut predicitur) nunc combustum, frequencius quam alibi ob loci vicinitatem aliquando se transferre et ibidem morari solebant:
[Fo. 55a.] que omnia nos inducunt et animum nostrum inclinant ut eidem fratri nostro et sue ecclesie in tanta necessitate, prout nobis est possibile, succurramus; nos ad devotam requisicionem ejusdem fratris nostri super ecclesia de Dalston, Karleolensis diocesis, cum juribus et pertinenciis ejusdem ecclesie, cujus idem episcopus verus dinoscitur esse patronus, assenciente et consenciente serenissimo principe domino nostro domino E., Dei gracia rege Anglie illustri, cujus carta super hoc suo magno sigillo cum viridi cera signata, quam inspeximus, tenorem continet infrascriptum :—

E. Dei gracia rex Anglie etc. omnibus ad quos presentes littere pervenerint, salutem. Sciatis quod concessimus et licenciam dedimus pro nobis et heredibus nostris, quantum in nobis est, venerabili patri Johanni Karleolensi episcopo quod ipse ecclesiam de Dalston cum pertinenciis, sue diocesis suique patronatus, sibi in usus proprios perpetuo possidendam appropriare et eam sic appropriatam retinere possit sibi et successoribus suis sine occasione vel impedimento nostri vel heredum nostrorum imperpetuum. In cujus rei testimonium has litteras nostras fieri fecimus patentes. Teste me ipso apud Nettelham, viij° die Februarii anno regni nostri xxix°.

—invocato Christi nomine, sic de assensu decani et capituli nostri Eboraci de prefata ecclesia de Dalston auctoritate metropolitica ordinamus et decernimus ordinando, videlicet, quod prefatus episcopus et successores sui imperpetuum ecclesiam ipsam de Dalston cum suis juribus et pertinenciis universis habeant et teneant in proprios usus perpetuo possidendam, quam tenore appropriamus presencium mense sue. Ordinamus autem quod in dicta ecclesia de Dalston per dictum episcopum aut successores suos, cedente vel decedente rectore ipsius ecclesie, preficiatur vicarius perpetuus qui curam habeat animarum et nomine vicarii a dicto episcopo et successoribus suis annuatim in festis Beati Martini et Pentecostes viginti marcas percipiat et onera ordinaria eidem ecclesie incumbencia subeat ac eidem deserviat laudabiliter in divinis. Habeat etiam ex hac ordinacione nostra aream de solo ecclesie competentem eidem et sufficientem ad domos et ortum. Onera vero extraordinaria, tam ad prefatos episcopum et successores suos quam ad vicarios, qui pro tempore fuerint in prefata ecclesia, pro rata pertineant porcionum. Volumus etiam et decernimus quod liceat prefato episcopo aut successori suo qui pro

tempore fuerit, cedente vel decedente rectore ejusdem ecclesie qui nunc est, ipsam ecclesiam ingredi et possessionem ejusdem nancisci, nostro aut capituli nostri predicti assensu minime requisito, salva ecclesie nostre Eboraci et nostra in omnibus dignitate. Idem vero episcopus et successores sui prefatis vicariis, qui pro tempore fuerint, predictas viginti marcas per porciones equales solvent annuatim terminis suprascriptis. In cujus rei testimonium sigillum nostrum presentibus est appensum. Data apud Burton juxta Beverlacum, iiij^to^ kalendas Aprilis anno gracie M° CCC^mo^ primo et pontificatus nostri secundo.

Cum igitur causas in supradictis litteris nostri predecessoris expressas per rei evidenciam noverimus esse veras, nos ordinacionem suam predictam super appropriacione ecclesie memorate tanquam meritorium factum ipsum pronis visceribus acceptamus et etiam, quantum ad nos attinet, favorabiliter approbamus. In cujus rei testimonium presentes litteras fieri fecimus patentes, sigilli nostri munimine roboratas. Data apud Rosam, xj^mo^ kalendas Marcii anno Domini M° CCC^mo^ sexto et consecracionis nostre secundo.

[*Concerning the collection of Pope Clement V's crusading tenth in the Isle of Man. A similar letter is addressed to the Abbot of Tungland as to the diocese of Whithern.*]

CITACIO FACTA ABBATI ET CONVENTUI DE RUSSYN PRO DECIMA SCOCIE.

. . Karleolensis episcopus una cum Johanne de Sandal, cancellario ecclesie Dublinensis, collector decime per sanctissimum patrem dominum [Clementem] Dei providencia papam Quintum imposite per biennium pro Terre Sancte negocio in tota Scocia per Lincolniensem et Londoniensem episcopos, principales collectores ejusdem decime, deputatus, religiosis viris abbati et conventui de Russyn, Sodorensis diocesis, salutem in omnium Salvatore. Commisso nobis dudum officio collectionis dicte decime in terris et partibus predictis, quia collectioni eidem in partibus Mannie faciende vacare non potuimus per nos ipsos in longinquo commorantes, pluribus ac arduis aliunde negociis occupati, ex magna circumspectionis vestre fiducia officium collectionis in dictis partibus Mannie vobis sub certa forma commisimus exequendum. Quia vero per litteras principalium collectorum dicte decime, quas recepimus non est diu, collectam per vos pecuniam decime memorate tota celeritate qua possumus exigere cogimur et a vobis recipere racionem, vos tenore prescencium citamus peremptorie quod per

procuratores sufficienter instructos coram nobis aut vices nostras gerentibus tercio die juridico post instans festum Sancti Mathei apostoli in ecclesia nostra cathedrali Karleoli comparere curetis totam pecuniam dicte decime Mannie pro primo anno imposicionis ejusdem integraliter soluturi ac de collecta ejusdem anni raciocinia reddituri, parati nichilominus ad solvendum decimam vestre collectionis hujusmodi pro medietate sequentis anni secundi, prout alias in nostre commissionis litteris expressius continetur. Et quia ex nostra in premissis artacione vos, sicut et ceteros simili sub nobis fungentes officio, compellimur coartare, prout vobis constare poterit plenius in futurum, in vos dominum abbatem, priorem, celerarium et cantorem majoris excommunicacionis sentenciam premissa monicione, quam per presencium exhibicionem vobis facimus si hujusmodi mandatis nostris non parueritis, ex nunc ut ex tunc auctoritate apostolica ferimus in hiis scriptis. Ad hoc vobis ex predictis auctoritate et causis et sub debito obediencie, qua sedi apostolice tenemur, firmiter injungendo mandamus quatinus visis presentibus cum omni celeritate qua poteritis citetis seu citari faciatis peremptorie venerabilem fratrem Sodorensem episcopum, subcollectorem nostrum dicte decime in insulis sue diocesis Sodorensis, quod compareat coram nobis vel commissariis nostris predictis die et loco per procuratorem sufficienter instructum totam pecuniam dicte decime de prefatis insulis provenientem pro primo anno imposicionis ejusdem et medietatem sequentis anni secundi integraliter soluturus ac de collecta primi anni raciocinia redditurus: ingressum ecclesie eidem interdicentes, quod interdictum si per sex dies sustinuerit in ipsum suspensionem ab officio, quam si per sex dies sustinuerit majoris excommunicacionis sententiam sub pena superius annotata auctoritate apostolica promulgetis, si hujusmodi mandatis nostris noluerit obedire. De die vero recepcionis presencium et quid in premissis duxeritis faciendum ac etiam de nominibus non solvencium nobis citra dictum diem per litteras vestras patentes, harum seriem continentes, constare fideliter faciatis. Quo ad presentacionem presencium vobis factam nuncio nostro jurato, latori eorumdem, fidem dabimus ut est justum. Data apud Rosam, ij° kalendas Augusti anno Domini M° CCC^mo^ septimo.

[Fo. 55b.]

Eodem die consimilis littera ejusdem date emanavit abbati et conventui de Tungeland, Candide Case diocesis, ad faciendum illud idem: salva illa clausula "Ad hoc vobis etc." usque "De die vero recepcionis etc.", que pertinet ad episcopum Sodorensem.

[*Ordination at St. Lawrence's, Appleby, Sept. 23, 1307.*]

CELEBRACIO ORDINUM DOMINI JOHANNIS DEI GRACIA KARLEOLENSIS EPISCOPI IN ECCLESIA SANCTI LAURENCII DE APPELBY, SUE DIOCESIS, DIE SABATI QUATUOR TEMPORUM MENSE SEPTEMBRIS ANNO DOMINI M° CCC^mo^ VIJ^mo^ ET PONTIFICATUS SUI XVJ^mo^.

ACOLITI.

Willelmus de Brampton.
Rogerus de Lancastre, de Sokkebred.
Thomas de Qwytefeld, Dunelmensis diocesis, per dimissorias domini Dunelmensis.
Frater Nicholaus de Nesham, de ordine Carmeli.
Frater Hugo de Catton, de ordine Predicatorum.
Thomas de Sandford.
Johannes filius Symonis de Appelby.
Rogerus de Crosseby.
Johannes de Burg sub Mora.
Willelmus de Keldsyk.
Willelmus de Wyggeton.
Adam Beneyt, de Ormesheved.
Thomas de Goldington.
Willelmus de Cliffeton.
Adam de Warthecoppe.
Walterus de Alnstan.
Robertus de Meburne.
Johannes de Kirkoswald.

SUBDIACONI.

Willelmus de Brampton, ad titulum quinque marcarum sibi per cartam Stephani de Stapelton concessarum.
Johannes Legat, ad titulum xl solidorum sibi per cartam Johannis de Berwys concessorum.
Willelmus Garran, de Appelby, ad titulum v marcarum sibi per cartam Thome de Hoton concessarum.
Willelmus de Redmane, ad titulum l solidorum sibi per cartam Thome de Redmane concessorum.
Thomas de Neubygging, ad titulum v marcarum sibi per cartam Thome de Neubigging concessarum.
Magister Robertus de Blencou, ad titulum patrimonii, de quo reputat se contentum.

Ricardus de Donyngton, ad titulum l solidorum sibi per cartam Alani de Collay concessorum, ipso presente et judicialiter concedente: per dimissorias domini Lincolniensis.

Johannes de Culgayth, ad presentacionem magistri Johannis de Boghes, officialis Karleoli.

DIACONI.

Frater Willelmus de Keldsik,
Frater Thomas del Gyle,
Frater Henricus de Karleolo,
Frater Thomas de Wyrkinton,
Frater Gilbertus de Haverington,
} monachi de Holm.

Frater Nicholaus de Herle, de ordine Predicatorum.

Nicholaus filius Johannis de Askeby, ad titulum quatuor librarum sibi per cartam Johannis de Cotesford concessarum.

Johannes de Wylton, Eboracensis diocesis, ad titulum v marcarum, per dimissorias domini Eboracensis dictum titulum approbantes.

Gilbertus de Blakeburne, Glasguensis diocesis, ad titulum iiij^{or} marcarum sibi per cartam Rogeri de Laton concessarum.

Thomas de Penreth, ad titulum v marcarum sibi per cartam Alexandri de Capella concessarum.

Robertus de Claresburgh, Eboracensis diocesis, per dimissorias domini Eboracensis archiepiscopi suum titulum approbantes.

Johannes Belle, de Bridekirk, ad titulum xl solidorum sibi per cartam Thome de Redmane concessorum.

Rogerus filius Ricardi de Extildisham, Eboracensis diocesis, ad titulum patrimonii sufficientem, per dimissorias domini Eboracensis dictum titulum testificantes.

PRESBITERI.

Frater Gilbertus de Linkefeld,
Frater Johannes de Karleolo,
Frater Rogerus de Karleolo,
Frater Johannes de Cokermue,
} canonici Karleoli.

Dominus Symon de Balderston, rector ecclesie Sancti Michaelis super Wyr, Eboracensis diocesis, per dimissorias domini Eboracensis.

Dominus Ricardus North, rector ecclesie de Seneqware, Glasguensis diocesis, per dimissorias domini Glasguensis.

Adam de Castelkayrok, ad titulum xl solidorum sibi per cartam Johannis de Farlham concessorum.

[Fo. 56a.]

Willelmus de Gamelesby, ad titulum quinque marcarum sibi per cartam domini Willelmi le Latimer, militis, concessarum.

Frater Thomas de Burton, canonicus de Heppe.

Frater Johannes de Ireby, de ordine Predicatorum.

Robertus filius Johannis de Askeby, ad titulum v marcarum sibi per cartam magistri Willelmi de Brampton concessarum.

Willelmus de Hautewesil, ad presentacionem prioris et conventus Beate Marie Karleoli.

Hugo de Craysothen, Eboracensis diocesis, ad titulum v marcarum sibi per cartam Thome de Musegrave concessarum: per dimissorias domini Eboracensis.

Symon de Caldecotes, ad titulum v marcarum sibi per cartam Johannis filii Ricardi de Capella concessarum.

Johannes de Glassan, ad titulum v marcarum sibi per cartam domini Ricardi Brun, militis, concessarum.

Henricus de Ulvedal, ad titulum v marcarum sibi per cartam domini Andree de Harcla, militis, concessarum: in judicio exhibitam et probatam.

[Warcop R.—*Appropriation (with the reservation of a pension by the Bishop) to the Abbot and Convent of Shap. They are to endow a vicarage, which is to be held by one of their canons, who shall serve the church by a secular priest.*]

Appropriacio ecclesie de Warthcopp.

Johannes miseracione divina Karleolensis episcopus dilectis in Christo filiis domino abbati et conventui ecclesie Beate Marie Magdalene de Hepp, Karleolensis diocesis, salutem, graciam et benedictionem. Dum, ecclesie vestre pensatis facultatibus et numero canonicorum divino cultui jugiter insistencium in eadem, de hospitalitatis observancia que monasteriis deberet precipue pululare, ad que peregrini et nonnulli alii fideles Christi pauperes causa recreacionis habende cicius quam alibi frequenter se divertunt, ex officii nostri debito cogimur meditari, profecto plangimus et dolemus perpendentes evidenter quod ad consuetam hospitali-

tatem faciendam vestre non sufficiunt facultates pro eo quod quedam loca vestra, de quibus maxima pars sustentacionis vestre dependebat, per hostiles Scottorum invasiones in cineres sunt redacta, aliis bonis vestris inventis inibi abductis penitus et consumptis, quod non sine gravi cordis amaritudine referimus et merore: attendentes insuper quod non solum pro ecclesie vestre reparacione, que nondum totaliter est constructa, et aliis locis vestris combustis hostiliter (ut premittitur) reparandis, verum etiam propter cotidianum adventum regalis exercitus per vos ad partes Scocie, et alias contribuciones quas ecclesie Romane et ejus ministris ac domino regi facere necessario vos oportet, vobis et monasterio vestro undique tot onera iminent et expense quod, nisi per incrementum bonorum temporalium vel spiritualium vobis prospectum fuerit aliunde, vestris oppressionibus et inopie nequaquam consuli poterit ut deceret. Ad uberiorem igitur hospitalitatem futuris temporibus faciendam et ecclesie ac aliorum locorum vestrorum reparacionem celeriorem, necnon et ad alia onera facilius supportanda, invocato nomine Jesu Christi, ecclesiam parochialem de Warthecopp, nostre diocesis, cujus advocacionem nobilis vir Robertus de Clifford, verus patronus ejusdem, de consensu et voluntate domini Edwardi, illustris regis Anglie, vobis contulit intuitu caritatis, prout de eisdem collacione et consensu in instrumentis eorumdem vidimus plenius contineri, cum omnibus suis juribus et pertinenciis ecclesie vestre ac vobis et successoribus vestris concedimus et conferimus in usus proprios perpetuis temporibus possidendam: ita quod, cedente vel decedente rectore ejusdem ecclesie qui nunc est, ipsius ecclesie possessionem apprehendere et auctoritate presencium ingredi licite valeatis. Et quia uniuscumque jura illesa merito sunt servanda ac jus ecclesie nostre cathedralis per hanc appropriacionem leditur in immensum, nos in recompensacionem hujusmodi lesionis quatuor libras argenti de dicta ecclesia a tempore vacacionis ejusdem singulis annis ad festa Pentecostes et Sancti Martini per equales porciones per vos et successores vestros nobis et successoribus nostris integre persolvendas auctoritate ordinaria specialiter reservamus. Volumus etiam et concedimus pro nobis et successoribus nostris quod liceat vobis et successoribus vestris unum canonicum idoneum domus vestre nobis et successoribus nostris pro recipienda cura parochie predicte ecclesie ad ipsius vicariam, quocienscumque eam vacare contigerit, presentare. Qui quidem canonicus ut vicarius resideat personaliter in eadem oneraque ordinaria sustineat ac ipsi ecclesie per presbiterum secularem honeste et laudabiliter deserviat in

divinis. Ad cujus sustentacionem et alia onera supportanda, pro reponendis decimis vestris garbarum ejusdem ecclesie competenti loco vobis primitus reservato, totum altaragium una cum domibus et edificiis, terris et pratis ad dictam ecclesiam pertinentibus integraliter assignamus: salva nostre Karleolensis ecclesie et nostra in omnibus dignitate. Data etc.

[Fo. 56b.]

[*Mandate to the Bishop to swear in the Taxors for Cumberland, Westmorland and Lancashire.*]

BREVE REGIUM DE VICESIMA ET QUINTADECIMA.

Rex episcopo Karleoli, salutem. Mittimus ad vos litteras nostras patentes, magno sigillo nostro signatas, per quas assignavimus Gilbertum de Culwenne, militem, et Thomam de Louther, in comitatu Cumbrie; Robertum de Askeby, militem, et Johannem de Goldington, de Colleby, in comitatu Westmerie; Robertum de Lathum, militem, et Johannem de Hamesfeld, in comitatu Lancastrie; ad XX^mam^ et XV^mam^, nobis nuper in parlamento nostro apud Northampton concessas, taxandas et levandas, et pro quolibet eorumdem comitatu unam formam taxacionis et levacionis earumdem XX^me^ et XV^me^ eodem sigillo nostro signatam. Et assignavimus vos ad recipiendum sacramentum de eisdem taxatoribus et collectoribus de bene et fideliter se habendo in taxacione et levacione predictis secundum formam contentam in cedula presentibus interclusa. Precepimus etiam vicecomiti nostro dicti comitatus Cumbrie quod predictos Gilbertum et Thomam, vicecomiti nostro dicti comitatus Westmerie quod dictos Robertum de Askeby et Johannem de Goldington, et vicecomiti Lancastrie quod dictos Robertum de Lathum et Johannem de Hamesfeld distringant per omnes terras et catalla sua, ita quod ipsi vicecomites de exitibus earumdem terrarum nobis respondeant; et quod habeant corpora eorumdem taxatorum et collectorum coram vobis ad certos dies et loca, quos ipsis vicecomitibus scire facietis, ad audiendum et faciendum quod vos eis injungetis ex parte nostra. Et ideo vobis mandamus quod certos dies et loca eisdem vicecomitibus prefigatis quibus coram vobis habeant corpora predictorum taxatorum et collectorum et sacramentum ab eis recipiatis in forma predicta et eis litteras patentes et formam taxacionis et levacionis predictas, videlicet illas illis singillatim per comitatus in quibus assignati fuerint, liberetis. Et quid inde feceritis constare faciatis thesaurario et baronibus de scaccario nostro apud Westmonasterium

in crastino Sancti Hyllarii, remittentes ibi hoc breve. Teste Waltero Reginaldi, thesaurario nostro, apud Westmonasterium, iiij^to^ die Decembris anno regni nostri primo.

[*The oath.*]

Ce est le serement as taxours des vintisme e quinzime, ce est a savoir que bien e loialment a lor poeir e a lor enscient taxeront les biens e les mobles as prodes homes du roialme selom la forme avandite et selom que lor est enjoint de par le roi; e por rien ne lairont, ne por amour, ne por haour, ne por favour, ne por don, ne por promesse, que loialment ne le facent sanz nul espargner; e que ne prendront de nului qui biens il devront taxer, ne par eus, ne par autre; e que loialment feront la taxacion e la summe embreveront e le non de chescun, e loialment le presenteront au tresorer e as barons del eschequer. E ceus, qui desouz eus ces biens taxeront, feront faire autel serement. E les clercs, qui escriveront lor roules, facent le serement que loialment embreveront les nons e les summes de tous, e que nule fraude ne feront par quoi le roi soit perdant n' autre ne soit damagie, e que rien ne prendront fors que manger e boire.

[*The appointment of Collectors in the diocese of Carlisle.*]

BREVE REGIUM DE XV^ma^ CLERI.

Rex episcopo Karleoli, salutem. Cum vos, sicut ceteri prelati et clerus regni nostri pro quibusdam arduis negociis, nos et statum ejusdem regni tangentibus, expediendis, quintamdecimam bonorum vestrorum nobis curialiter concesseritis et gratanter, paternitatem vestram rogamus attente quatinus aliquas certas personas, quas vestra discrecio ad hoc duxerit eligendas, ad dictam XV^mam^ de bonis vestris et subditorum vestrorum in vestra diocesi colligendam et levandam juxta taxacionem decime nunc currentis absque dilacionis incommodo assignetis: ita quod collectores illi habeant et solvant ad scaccarium nostrum unam medietatem pecunie de dicta XV^ma^ provenientis in crastino Annunciacionis Beate Marie proximo futuro et aliam medietatem in crastino Nativitatis Sancti Johannis baptiste proximo sequenti sine dilacione ulteriori,—in hoc negocio celeriter exequendo taliter vos habentes quod vobis ex hac causa in agendis vestris efficiamur merito prompciores. Teste me ipso apud Reading, iiij^to^ die Decembris anno regni nostri primo.

[St. Lawrence's V., Appleby.—*Institution of the presentee of the Abbot and Convent of St. Mary's at York, with the reservation of a pension.*]

INSTITUCIO DOMINI STEPHANI DE POPILTON IN VICARIA SANCTI LAURENCII DE APPELBY.

J. etc. Karleolensis episcopus dilecto in Christo filio domino Stephano de Popilton, capellano, salutem, graciam et benedictionem. Ad vicariam ecclesie Sancti Laurencii de Appelby, nostre diocesis, vacantem, ad quam per dominum abbatem et conventum monasterii Beate Marie Eboraci, veros patronos ejusdem, presentatus existis, te admittimus et perpetuum vicarium instituimus canonice in eadem : salvis annua pensione dictis domino abbati et conventui debita ab antiquo ac nostre Karleolensis ecclesie ac nostra in omnibus dignitate. Data apud Qwathamsted, xj^mo^ kalendas Marcii anno Domini M° CCC^mo^ vij^mo^ et pontificatus nostri sextodecimo.

Eodem die fuit littera inductionis ejusdem date directa domino archidiacono Karleoli pro eodem.

[Fo. 57a.]

[Wigton R.—*Institution on the presentation of John de Wyggeton.*]

INSTITUCIO DOMINI JACOBI DE DALILEGH IN ECCLESIA DE WYGGETON.

Johannes etc. Karleolensis episcopus dilecto in Christo filio domino Jacobo de Dalilegh, clerico, salutem, graciam et benedictionem. Ad ecclesiam parochialem de Wyggeton, nostre diocesis, vacantem, ad quam per nobilem virum dominum Johannem de Wyggeton, militem, verum patronum ejusdem, nobis presentatus existis, te admittimus intuitu caritatis rectoremque instituimus canonice in eadem : salva nobis ac nostre Karleolensi ecclesie in omnibus dignitate. Data apud Melreth, xj^mo^ kalendas Maii anno Domini M° CCC^mo^ viij° et pontificatus nostri sextodecimo.

Eodem die fuit directa inductionis littera ejusdem date domino archidiacono Karleoli pro eodem.

[Barton R.—*Institution of a minor on the presentation of John de Lancaster, saving a pension to Warter Priory.*]

INSTITUCIO DOMINI JOHANNIS DE LOUTHER.

Episcopus etc. dilecto in Christo filio domino J. de Louther, acolito, salutem, graciam et benedictionem. Ad ecclesiam parochialem de Barton, nostre diocesis, vacantem, ad quam per dominum J. de Lancaster, militem, verum patronum ejusdem, nobis presentatus existis, te admittimus intuitu caritatis rector-

emque instituimus canonice in eadem ; non obstante minori etate quam pateris in presenti, presertim cum sanctissimus pater dominus Clemens, divina providencia papa Quintus, tecum super hujusmodi defectu auctoritate apostolica dispensavit : salva priori et conventui de Warter porcione, quam optinent in eadem, et ecclesie nostre cathedralis Karleoli et nostra in omnibus dignitate. Data apud Rosam, xv^mo^ kalendas Octobris anno Domini M° CCC^mo^ octavo et pontificatus nostri septimodecimo.

[*Dispensation for illegitimacy by authority of the Legate.*]

XI^mo^ Kalendas Aprilis anno Domini M° CCC^mo^ octavo dispensatum fuit cum Henrico de Burgo clerico, Karleolensis diocesis, auctoritate venerabilis patris domini Petri, Dei gracia Sabinensis episcopi, apostolice sedis nuncii, super defectu natalium quem patitur, quod hujusmodi non obstante defectu possit ad omnes ordines promoveri et ecclesiasticum beneficium obtinere, etiam si curam habeat animarum, et personaliter resideat in eadem ac ad omnes ordines statutis temporibus se faciat promoveri.

[*Nicholas de Lovetot, incumbent of Kirkoswald, to be cited to show cause why William de Castre ought not to be instituted therein.*]

Episcopus etc. decano suo Cumbrie, salutem etc. Mandamus vobis firmiter injungendo quatinus magistrum Nicholaum de Lovetot, incumbentem possessioni ecclesie de Kirkosewald, nostre diocesis, citetis seu citari faciatis peremptorie, ut parcium parcatur laboribus et expensis et animarum saluti dicte parochie salubrius consulatur, quod compareat coram nobis seu commissariis nostris, uno vel pluribus, in ecclesia nostra cathedrali Beate Marie die Sabati proxima post instans festum Sancti Jacobi apostoli ostensurus quare Willelmus de Castre, clericus, ad dictam ecclesiam presentatus, admitti non debeat ad eandem et canonice institui in eadem. Qualiter autem presens mandatum nostrum fuerit executum nos seu commissarios nostros, unum vel plures, dictis die et loco reddatis cerciores per litteras vestras patentes harum seriem continentes. Data apud Horncastre, v^to^ idus Julii anno pontificatus nostri xvj^mo^.

[*The Subprior and Convent ask leave of the Bishop to choose a prior in place of William de Hautewysil, resigned.*]

LITTERA DE LICENCIA HABENDA AD PRIOREM KARLEOLI ELIGENDUM.

Reverendo in Christo domino J. etc. Karleolensi episcopo filii

sui (si placet) humiles et devoti Robertus, supprior ecclesie Beate Marie Karleoli, et ejusdem loci conventus, salutem et debitam obedienciam cum omni reverencia et honore. Ad providendum ecclesie nostre predicte de priore, per cessionem fratris Willelmi de Hautewysil, nuper prioris ejusdem, prioris solacio destitute, a vobis, pater reverende, licenciam more solito petimus specialem. Data Karleoli, iiij^to^ kalendas Octobris anno Domini M° CCC^mo^ octavo.

[*The Bishop's permission.*]

LITTERA PRO PRIORE ELIGENDO.

Episcopus etc. dilectis in Christo filiis, suppriori ecclesie nostre cathedralis Karleoli et ejusdem loci conventui, salutem, graciam et benedictionem. Ad providendum de priore ecclesie nostre predicte, prioris solacio destitute, vobis ista vice licenciam concedimus per presentes. Data apud Rosam, iiij^to^ kalendas Octobris anno Domini M° CCC^mo^ octavo.

[ESTON R.—*Simon de Beverley is presented by the King.*]

PRESENTACIO AD ECCLESIAM DE ESTON.[1]

Rex etc. episcopo Karleoli, salutem. Ad ecclesiam de Eston, vestre diocesis, vacantem et ad nostram donacionem spectantem racione custodie terre et heredis Johannis Wak, defuncti, qui de domino E. nuper rege Anglie, patre nostro, tenuit in capite, infra etatem et in manu nostra existentis, dilectum nobis Symonem de Beverlaco, capellanum, vobis presentamus intuitu caritatis, rogantes quatinus dictum Symonem ad ecclesiam predictam admittatis et personam instituatis in eadem. In cujus rei testimonium has litteras nostras fieri fecimus patentes. Teste me ipso apud Certeseye, xxvj^to^ die Augusti anno regni nostri secundo.

[*The presentee is instituted and has a letter of induction.*]

Episcopus dilecto in Christo filio domino Symoni de Beverlaco, capellano, salutem etc. Ad ecclesiam parochialem de Eston, nostre diocesis, vacantem, ad quam per dominum nostrum, dominum E. regem Anglie illustrem, racione custodie terre et heredis domini J. Wak, defuncti, nunc patronum ejusdem, nobis presentatus existis, te admittimus intuitu caritatis rectoremque instituimus canonice in eadem: salva ecclesie parochiali de Arthureth pensione debita, si qua sit, ac nostre cathedralis etc. Data apud Rosam, anno Domini M° CCC^mo^ octavo et pontificatus nostri septimodecimo.

---

[1] The parish of Eston has long been merged in those of Arthuret and Kirkandrews on Esk. See Prescott's *Reg. of Wetherhal.* p. 41 *n.*

Eodem die fuit inductionis littera ejusdem date directa domino archidiacono Karleoli pro eodem.

[Fo. 57b.]

[CARLATTON R.—*Appropriation to the Prior and Convent of Lanercost, mainly on account of their losses and ruined state through the Scottish war. A vicarage is ordained.*]

APPROPRIACIO ECCLESIE DE CARLATON.

Johannes etc. episcopus etc. priori et conventui ecclesie de Lanercost, ordinis Sancti Augustini, nostre diocesis, salutem, graciam et benedictionem. Licet ex officii pastoralis debito ac paterne compassionis affectu subditorum oppressionibus succurrere teneamur, pro vestris tamen incommodis amovendis eo cogitare propensius astringimur quo vos in vinea Domini per regulares observancias Deo placabiles, hospitalitatem honorabilem, et alia multiplicia caritatis opera novimus vigilancius laborare. Sane ad lamentabilem statum ecclesie vestre de Lanercost supradicte, per repentini incendii voraginem jam consumpte, necnon ad alia loca vestra nonnulla per sevientem Scotorum incursum, depredaciones innumeras et hostiles invasiones eorundem multiplices in favillam et cineres (proch dolor!) jam redacta, aliis bonis vestris sic consumptis quod ad sustentacionem vestram et onera incumbencia facultates quas in presenti habetis sufficere non poterunt ut deceret, oculos nostros compassionabiliter dirigentes intimeque pensantes quod ob cotidianum adventum regalis exercitus per vos ac frequentem aliorum superveniencium concursum onerosum vestra hospitalitas, que ad premissa minus sufficit, plus solito aggravatur, inducimur obnixius et hortamur ut in tanta necessitate ob sustentacionem vestram per bonorum temporalium incrementum vobis et ecclesie vestre predicte, quatenus possumus, succurramus. Habito igitur super hiis tractatu sollempni et diligenti, qui etiam talibus requiritur, invocato Christi nomine ecclesiam de Carlaton parochialem et curatam, nostre diocesis, cujus estis advocati et veri patroni, prout apparet per cartam clare memorie domini Edwardi filii regis H., nuper regis Anglie, vobis inde confectam, cujus etiam ecclesie dominus Robertus de London rector est in presenti, cum suis juribus et pertinenciis universis in usus vestros proprios perpetuo habendam, tenendam et possidendam vestre ecclesie ac domui predicte vobisque ac successoribus vestris ob causas predictas auctoritate pontificali conferimus, concedimus, donamus et appropriamus per presentes: volentes et concedentes quod, cedente vel decedente rectore ejusdem ecclesie qui nunc est, proprietatem

et possessionem ipsius ecclesie de Carlaton auctoritate vestra libere ingredi et in usus vestros proprios integraliter retinere valeatis, consensu nostro et successorum nostrorum aut aliorum quorumcumque, cujuscumque condicionis sint vel status, minime requisito: salva in omnibus vicaria dicte ecclesie ac sustentacione competenti vicarii ejusdem, qui pro tempore fuerit, de fructibus ejusdem et proventibus per nos aut successores nostros facienda, ordinanda pariter et taxanda, cujus quidem vicarie ordinacionem ipsiusque taxacionem et collacionem, quandocunque ipsam vacare contigerit, in recompensacionem lesionis quam ecclesia nostra cathedralis Karleoli ex hujusmodi appropriacione patitur seu futuris temporibus pati posset, nobis et successoribus nostris de vestro expresso consensu specialiter reservamus: jure et auctoritate, tam nostra diocesana quam alia ordinaria quacunque, per omnia semper salvis. In cujus rei testimonium has litteras nostras vobis fieri fecimus patentes sigilli nostri munimine roboratas. Data apud Rosam, xiij^{mo} Octobris anno Domini M^{o} CCC^{mo} octavo et pontificatus nostri septimodecimo.

[*Note of moneys arising from Pope Boniface VIII's six years' tenth in Scotland, which still remained in the hands of various sub-collectors or on deposit.*]

VIII Kalendas Octobris anno Domini M^{o} CCC^{mo} octavo fuit directum istud memorandum magistro Johanni de Solerio in hec verba.

Memorandum quod in ultimo compoto habito inter nos et subcollectores nostros infrascriptos de decima per sanctissimum patrem dominum Bonifacium papam VIII imposita in regno Scocie per sex annos remanserunt penes priorem et conventum de Coldingham, D CCC lij li. vijs. vjd. Item penes abbatem et conventum de Jedd', M lxxiij li. xxs. viijd. Item penes abbatem et conventum de Kelkou, M Cxxiij li. ijs. vjd. q. Item penes priorem et conventum Sancti Andree, M CCCv li. ixs. vijd. Item penes abbatem et conventum de Cupro, D iiij^{xx}xv li. xvijs. xjd. Item penes abbatem et conventum de Scona, CCv li. xijs. jd. Item penes abbatem et conventum de Camskynel, CClxxvj li. xvijs. jd. ob. Item penes abbatem et conventum de Kynlos, D CCCl li. iijs. iiijd. ob. Item in deposito penes dominum episcopum Candide Case, lxx li. In cujus rei testimonium nos Johannes Karleolensis episcopus huic memorando sigillum nostrum duximus apponendum.

[*The Bishop confirms the election of Robert de Helpeston.*]

PRO PRIORE KARLIOLI.

Episcopus dilectis in Christo dominis suppriori ecclesie nostre cathedralis Karlioli et ejusdem loci conventui, salutem, graciam et benedictionem. Quia electionem de domino Roberto de Helpeston in priorem ecclesie nostre predicte per vos canonice factam, omnibus rite actis et examinatis juxta sanctorum patrum decreta, confirmavimus ipsumque dicte ecclesie nostre in forma juris per presentes in priorem, vobis sub debito obediencie firmiter injungimus et mandamus quatinus prefatum dominum Robertum in priorem vestrum benignius admittatis, eidem tanquam priori vestro in omnibus obedientes et humiliter intendentes sua precepta canonica et injuncta (prout convenit) recepturi: dignitate nostra pontificali ac juribus et consuetudinibus nostris hactenus observatis in suo robore duraturis. Data apud Rosam, kalendis Octobris anno Domini M° CCC^mo octavo.

Eodem die fuit directa littera inductionis sue in corporalem possessionem prioratus ejusdem et stalli sui domino officiali Karlioli.

[*A fragment.*]

Episcopus etc. dilecto in Christo filio domino Rogero de Clifford, clerico, salutem, graciam et benedictionem. Ad ecclesiam parochialem de . . . . .

[Fo. 58a.]

[*For the payment of £50, being part of a debt due to Bishop Walter de Langeton, whose lands and effects are in the King's hands.*]

BREVE REGIUM PRO MAGISTRO N. LOVETOT.

Rex episcopo Karleoli, salutem. Quia magister Nicholaus Lovetot clericus est et non habet laicum feodum per quod potest distringi, prout vicecomes noster comitatus Suthamtonie significavit baronibus de scaccario nostro apud Westmonasterium in octabis Sancti Hillarii proximo preteritis, vobis mandamus quod de bonis et beneficiis suis ecclesiasticis in diocesi vestra fieri faciatis L libras, quas debet Waltero de Langeton, Coventrensi et Lichfeldensi episcopo, nuper thesaurario Anglie, de quodam debito CCC librarum; cujus terras et tenementa, bona et catalla, simul cum debitis suis quibuscumque ex certis causis capi fecimus in manum nostram, et quas L libras ei solvisse debuit ad terminos dudum preteritos, prout nobis constat per inspectionem rotulorum de scaccario nostro: ita quod denarios illos habeatis ad idem scaccarium

nostrum apud Westmonasterium in crastino clausi Pasche per aliquem de vestris juxta ordinacionem nostram ibidem solvendos. Teste W. de Carleton apud Westmonasterium, vj° die Februarii anno regni nostri primo. Per rotulum memorandorum de eodem anno.

RETORNUM.—Hoc breve retornatum fuit sub hac forma. Magister N., rector ecclesie de Kirkoswald, nulla bona vel catalla habuit tempore date hujus brevis nec ante autumpnum quicquam potest ibi levari preter altaragium, quod ad onera ordinaria et extraordinaria vix sufficit, et totum quod eveniet preter necessaria sequestratur.

[*A writ "alias" against the same Nicholas Lovetot for the same debt.*]

LOVETOT.

Rex episcopo Karleoli, salutem. Quia magister Nicholaus Lovetot clericus est et non habet laicum feodum unde aliqui denarii fieri possint, prout vicecomes noster comitatus Suthamtonie significavit baronibus de scaccario nostro, vobis mandamus (sicut alias) quod de bonis et beneficiis suis ecclesiasticis in diocesi vestra fieri faciatis L libras, quas debet Waltero de Langeton, Coventrensi et Lichfeldensi episcopo, nuper thesaurario Anglie, de quodam debito de CCC libris; cujus terre et tenementa, bona et catalla, simul cum debitis suis quibuscumque ex certis causis in manu nostra existunt, et quas ei solvisse debuit ad terminos dudum preteritos, prout nobis constat per inspectionem rotulorum de scaccario nostro; ita quod denarios illos habeatis ad idem scaccarium nostrum apud Westmonasterium in octabis Sancti Johannis baptiste per aliquem de vestris juxta ordinacionem nostram ibidem solvendos. Et remittatis ibi tunc hoc breve. Teste W. de Carleton apud Westmonasterium, viij° die Maii anno regni nostri primo. Per rotulum memorandorum ejusdem anni.

RETORNUM.—Hoc breve retornatum fuit hoc modo. Nicholaus de Lovetot, rector ecclesie de Kirkoswald, nulla bona seu catalla habet in diocesi nostra preter obvenciones altaragii dicte ecclesie, que vix sufficere poterunt ad quintamdecimam solvendam et alia onera incumbencia hiis diebus, nec aliquid ante autumpnum potest ibi levari.

[*A like writ "pluries" for £100.*]

LOVETOT.

Rex episcopo Karleoli, salutem. Quia magister N. Lovetot clericus est et non habet laicum feodum unde aliqui denarii fieri

possint, prout vicecomes noster comitatus Suthamtonie significavit baronibus de scaccario nostro, vobis mandamus (sicut pluries) quod de bonis et beneficiis suis ecclesiasticis in diocesi vestra fieri faciatis C libras, quas debet W. de Langeton, Coventrensi et Lichfeldensi episcopo, nuper thesaurario Anglie, de quodam debito CCC librarum; cujus terre et tenementa, bona et catalla, simul cum debitis quibuscumque ex certis causis in manu nostra existunt, et quas ei solvisse debuit ad terminos preteritos, prout nobis constat per inspectionem rotulorum de scaccario nostro; ita quod denarios illos habeatis ad idem scaccarium nostrum apud Westmonasterium a die Sancti Hillarii in xv dies juxta ordinacionem nostram ibidem solvendos; scientes quod, de eo quod breve nostrum, alias vobis inde directum, debite execucioni demandatur nec illud coram baronibus de dicto scaccario nostro in crastino Sancti Michaelis ultimo preterito juxta tenorem dicti brevis retornare curastis, quamplurimum admiramur. Per quod vobis in fide et dilectione, quibus nobis tenemini, firmiter injungendo mandamus quatinus istud mandatum nostrum exequamini cum effectu, et diligenciam vestram in hac parte merite debeamus recommendandam. Remittentes ibi tunc hoc breve et aliud breve. Teste W. de Carleton apud Westmonasterium, xxx^mo^ die Novembris anno regni nostri secundo.

RETORNUM.—Hoc modo fuit istud breve retornatum. Post retornum quod fecimus de uno brevi in octabis Sancti Johannis baptiste ultimo preterito nullum breve recepimus nisi istud. Set fructus autumpnales ipsius ecclesie venduntur pro xxxij libris, solvendis ad festa Purificacionis et Pasche, quas levari cicius quo poterimus faciemus—nec ante tempus lane et agnorum poterit plus levari.

[*Writ to hasten the payment of arrears in the diocese of Carlisle; the King to be informed of the names of the collectors.*]

BREVE DE XV^ma^.

Rex episcopo Karleoli, salutem. Cum vobis nuper mandassemus quod ad XV^mam^, per vos et ceteros prelatos et clerum regni nostri pro quibusdam arduis negociis nostris nobis in parliamento nostro habito apud Northamptoniam concessam, in vestra diocesi colligendam et levandam et nobis certis terminis persolvendam aliquas de eadem diocesi deputaretis certas personas, et jam ipsi termini sint elapsi non modicaque quantitas de ipsa XV^ma^ nobis adhuc existat debita, volentes quod nobis inde prout justum fuerit

satisfaciatis, vobis in fide et dilectione quibus nobis tenemini firmiter injungendo mandamus quod illos quos ad levacionem predicte XV^me^ deputastis distringatis per omnia beneficia sua ecclesiastica, que habent in diocesi vestra predicta, quod sint coram thesaurario et baronibus de scaccario nostro apud Westmonasterium in crastino Sancti Hillarii cum toto eo quod nobis a retro est de XV^ma^ supradicta nobis solvendo, una etiam cum rotulis, talliis, acquietanciis et omnibus aliis collectionem, levacionem et solucionem predictas tangentibus, ad reddendum nobis compotum suum inde. Et constare faciatis ibidem ad eundem diem nomina eorumdem collectorum : remittentes ibi hoc breve. Teste Wygorniensi episcopo, thesaurario nostro, apud Westmonasterium, xxix die Novembris anno regni nostri secundo.

RETORNUM.—Taliter fuit retornatum hoc breve. Istud mandatum vestrum in crastino Circumcisionis Domini ultimo preterito recepimus. Et ideo propter brevitatem temporis nichil inde fieri potuit ista vice. Nomina vero collectorum predicte XV^me^ sunt hec : prior ecclesie Beate Marie Karleoli et abbas de Heppe.

[Fo. 58b.]

[*Ordination at Dalston, Sept. 21, 1308.*]

CELEBRACIO ORDINUM DOMINI J. DEI GRACIA KARLEOLENSIS EPISCOPI IN ECCLESIA PAROCHIALI DE DALSTON, SUE DIOCESIS, DIE SABATI QUATUOR TEMPORUM MENSE SEPTEMBRIS ANNO DOMINI M° CCC^mo^ OCTAVO, PONTIFICATUS SUI SEPTIMODECIMO.

ACOLITI.

Michael filius domini Roberti Lengleys.
Adam de Crakenthorp.
Adam de Craystok.
Nicholaus de Skelton.
Adam de Bowechby.
Henricus de Tymperon.
Robertus filius Alani Furbour, de Karleolo.
Willelmus de Boghes, per licenciam domini Eboracensis.
Johannes dictus Paytevin.
Johannes de Askom.
Frater Adam de Ulvedale, de ordine Carmeli.
Willelmus de Neubigging.
Adam de Kirkeland.
Magister Johannes de Kendal, per dimissorias domini Eboracensis archiepiscopi.

Johannes de Louther.
Willelmus de Askeby.
Johannes de Plumland.
Hugo Courour, de Karleolo.
Dominus Adam de Limbergh, rector ecclesie de Dunbretan, Glasguensis diocesis, per dimissorias domini Willelmi Comyn, custodis et administratoris spiritualitatis ejusdem diocesis.
Magister Adam de Levington.
Rogerus de Lanercost.
Johannes de Crofton.
Johannes de Seburgham.
Willelmus de Halteclou.
Nicholaus Spicer, de Karleolo.

SUBDIACONI.

Frater Nicholaus de Nesham, de ordine Carmeli.
Thomas Courour, de Appleby, ad titulum xl solidorum sibi per cartam Johannis Sureys concessorum: in judicio alias exhibitam et probatam.
Robertus de Carleton, ad titulum iiij^{or} marcarum per cartam Johannis filii Willelmi filii Ivonis de Karleolo concessarum: in judicio exhibitam et probatam.
Willelmus filius Gilberti, de porta de Wyggeton, ad titulum v marcarum sibi per cartam domini Johannis de Wyggeton concessarum: in judicio etc.
Reginaldus de Kirkoswald, ad titulum quatuor marcarum per cartam Ricardi de Blenkensopp concessarum: in judicio exhibitam et probatam.
Johannes de Morlund, ad titulum xl solidorum sibi per cartam Nicholai de Grendon concessorum: in judicio exhibitam et probatam.
Willelmus Argent, de Kirkoswald, ad presentacionem magistri Johannis de Boghes.

DIACONI.

Frater Johannes Harrays,
Frater Johannes de Qwytebergh, } canonici Karleoli.
Dominus Johannes Franceys, rector ecclesie de Kirkeland, Karleolensis diocesis.
Magister Robertus de Blencou, ad presentacionem magistri J. de Boghes in subsidium tituli patrimonii sui.

Willelmus de Redmane, ad titulum xl solidorum sibi per cartam J. filii Thome de Redmane concessorum : in judicio exhibitam et probatam.

Willelmus Garran, de Appelby, ad titulum v marcarum sibi per cartam Thome de Hoton concessarum, etc.

Johannes Legat, de Karleolo, ad titulum v marcarum sibi per cartam Johannis de Berwys concessarum, etc.

Johannes de Brakenhull, ad titulum v marcarum sibi per cartam Stephani de Stapelton concessarum, etc.

Thomas de Neubigging, ad titulum v marcarum sibi per cartam Roberti de Neubigging concessarum, etc.

Thomas Grang, de Brangham,[1] ad titulum xl solidorum sibi per cartam Hugonis de Talkan concessorum, etc.

Dominus Symon de Tyrer, rector ecclesie de Cambok, Karleolensis diocesis.

PRESBITERI.

Frater Nicholaus del Woddeside, canonicus de Lanercost.

Symon Blond, Lincolniensis diocesis, ad titulum vj marcarum sibi per cartam Johannis dicti Senescall de Jeddworth concessarum, etc. Per dimissorias domini Lincolniensis.

Thomas de Corebrigg, factus incola, ad presentacionem prioris et conventus ecclesie Beate Marie Karleoli.

Willelmus filius Hugonis, de aula de Nalton, ad titulum v marcarum sibi per priorem et conventum de Wrsop, Eboracensis diocesis, concessarum, et per dimissorias domini Eboracensis.

Willelmus Dauney, de Wyggeton, ad titulum v marcarum sibi per cartam domini J. de Wyggeton concessarum, etc.

Willelmus de Waverton, ad titulum v marcarum sibi per cartam Symonis de Qwynhou concessarum, etc.

Willelmus filius Adam Fullonis, de Penreth, ad titulum v marcarum sibi per cartam Willelmi de Blencou, junioris, concessarum, etc.

Thomas filius Willelmi de Anand, de Penreth, ad titulum v marcarum per cartam Alexandri de Capella concessarum, etc.

Johannes Belle, de Briddekirk, ad titulum v marcarum sibi per cartam Thome de Redmane concessarum, etc.

Nicholaus de Askeby, ad titulum sex marcarum sibi per cartam Johannis de Cotesford concessarum, etc.

[1] *Sic.*

Robertus de Clareburgh, per dimissorias domini Eboracensis suum titulum sufficientem testificantes.

Rogerus filius Ricardi de Extildisham, per dimissorias domini Eboracensis suum titulum sufficientem testificantes.

[Fo. 59a.]

[*Ordination at Rose, Feb. 22, 1308-9.*]

CELEBRACIO ORDINUM DOMINI JOHANNIS DEI GRACIA KARLEOLENSIS EPISCOPI IN CAPELLA SUA DE ROSA, SUE DIOCESIS, DIE SABATI QUATUOR TEMPORUM MENSE FEBRUARII, VIDELICET IN PRIMA EBDOMADA XL^me^, ANNO DOMINI M° CCC^mo^ OCTAVO ET PONTIFICATUS SUI SEPTIMODECIMO.

ACOLITUS.

Willelmus de Kendal, canonicus de Kertemele, Eboracensis diocesis, per dimissorias domini Eboracensis.

SUBDIACONI.

Frater Willelmus de Notingham,
Frater Willelmus de Kendal, } canonici de Kertemele, Eboracensis diocesis, per dimissorias domini Eboracensis.

Willelmus de Boghes, Eboracensis diocesis, per dimissorias domini Eboracensis titulum suum testificantes.

Robertus de Wedirhal, Karleolensis diocesis, ad titulum duorum mesuagiorum et trium bovatarum terre in villa de Pinchunthorp sibi per cartam Ade de Thorp concessorum: in judicio exhibitam alias et probatam.

DIACONI.

Reginaldus de Kirkoswald, ad titulum iiij marcarum sibi per cartam Ricardi de Blekensop concessarum: in judicio exhibitam et probatam.

Willelmus de Wyggeton, ad titulum v marcarum sibi per cartam domini Johannis de Wyggeton, militis, concessarum: in judicio exhibitam et probatam.

PRESBITERI.

Magister Robertus de Blencou, ad titulum patrimonii, de quo se reputat contentum.

Willelmus de Redmane, ad titulum l solidorum sibi per cartam Johannis filii Thome filii Hugonis concessorum: in judicio exhibitam et probatam.

Thomas Grang, de Wrangham,[1] ad titulum v marcarum sibi per cartam Hugonis de Talkan concessarum: in judicio exhibitam et probatam.

[*Ordination at the Cathedral, March 15, 1308-9.*]

CELEBRACIO ORDINUM DOMINI JOHANNIS DEI GRACIA KARLEOLENSIS EPISCOPI IN ECCLESIA SUA CATHEDRALI KARLEOLI DIE SABATI QUA CANTATUR "SICIENTES" ANNO DOMINI M° CCC^mo^ OCTAVO ET PONTIFICATUS SUI SEPTIMODECIMO.

ACOLITI.

Dominus Rogerus de Clifford, rector ecclesie de Kirkebythor.
Johannes filius Roberti de Buchecastre.
Robertus de Brouham.
Petrus de Cokermue, Eboracensis diocesis, per dimissorias domini Eboracensis.
Willelmus de Byres.
Johannes Turry, de Ricardby.
Johannes de Aggellionby.
Johannes Stacy.
Hugo de Karleolo.
Robertus de Stanewegg.
Willelmus de Carleton.
Johannes de Sabulonibus.
Johannes de Furnesio,
Rogerus de Furnesio, } per licenciam domini Eboracensis.

SUBDIACONI.

Walterus filius Willelmi Gylri, de Alvestan, Eboracensis diocesis, per dimissorias domini Eboracensis suum titulum testificantes.
Adam de Craystok, ad titulum v marcarum sibi per cartam Roberti Franceis, de Cliburne, concessarum: in judicio exhibitam et probatam.

DIACONI.

Willelmus de Notingham,
Willelmus de Kendal, } canonici de Kertemele.
Magister Johannes de Romundby, ad presentacionem domini abbatis Beate Marie Eboraci, per dimissorias domini Eboracensis.

---

[1] *Sic.*

Thomas Courour, de Appelby, ad titulum v marcarum sibi per cartam magistri W. de Brampton concessarum: in judicio exhibitam et probatam.

PRESBITERI.

Frater Willelmus de Keldesyk,
Frater Thomas del Gyl,
Frater Henricus de Karleolo,
Frater Thomas de Wyrkinton,
} monachi de Holm.

Dominus Johannes de Brakenhull, ad titulum v marcarum sibi per cartam Stephani de Stapilton concessarum: in judicio exhibitam et probatam.

Dominus Johannes Legat, ad titulum v marcarum sibi per cartam Johannis de Berwys concessarum: in judicio exhibitam alias et probatam.

[Fo. 59b.]

[*Letter from Clement V to the Archbishops and Bishops in attendance at the first Parliament of Edward II. He complains that the Bishops of St. Andrews and Glasgow, as also the Bishop of Lichfield, are kept in prison by the King, instead of being sent to him for judgment. He also complains of the King's proceedings with regard to the goods of the Templars; mentions what has been done in France and the ordinance he has made concerning the Order. He asks them to influence the King rightly in these matters.*]

Clemens etc. venerabilibus fratribus Cantuariensi et Eboracensi archiepiscopis et omnibus eorum suffraganeis presentibus in primo generali parliamento per karissimum in Christo filium nostrum E., regem Anglie illustrem, in Anglia in proximo celebrando, salutem et apostolicam benedictionem. Paterne caritatis affectio, qua karissimum in Christo filium nostrum E., regem Anglie illustrem, ferventer amplectimus, nostros excitat cogitatus ut personam suam ad actiones laudabiles operaque salutis per que gracia summi Regis acquiritur, nomen regis magnificatur in populis et precelse sue fame preconium exaltacionis multiplicis suscipit incrementa, eumque instancius, cum velut homo ab hiis que justa sunt deviat, et que oculos divine majestatis offendunt, salutis sue commodis obviant et derogant regalibus titulis, solicite paternis verborum oraculis revocemus. Dudum siquidem venerabilis frater noster Petrus episcopus Sabinensis, ad regnum Anglie pro quibusdam negociis statum pacificum et tranquillum clare memorie E. regis Anglie, genitoris sui, et dicti regni tangentibus accedens, venerabiles fratres nostros Sancti Andree et Glasguensem episcopos (quos licet ad devotam et instantem dicti genitoris sui instanciam mandavissemus per

venerabilem fratrem nostrum archiepiscopum Eboracensem propter quedam horribilia que de ipsis idem genitor suus nobis contra ipsum, pacem et tranquillitatem regni sui intimaverat fuisse commissa, que ipse in sua consciencia asserebat vera esse per suas litteras et nuncios speciales, ipsius archiepiscopi carceri mancipari et in eo eciam detineri donec ipsos ad nostram presenciam mandaremus adduci, in gravem divine majestatis offensam et non modicam apostolice sedis injuriam detinebantur regio carceri mancipati,) cum instancia ex parte nostra libertati restitui postulavit. Idem autem rex, ejusdem Sabinensis episcopi postulacionibus annuens, prefatos episcopos cum magna humilitate eidem episcopo Sabinensi verbo restituit et mandavit restitui cum effectu, apostolice sedis conspectui presentandos. Et licet idem Sabinensis episcopus illos proponeret secum adducere, cum ipsum redire ad presenciam apostolatus nostri contingeret, eosque tunc, cum haberet inibi moram contrahere et timeret de fuga eorum, recipere distulisset, postmodum tamen (eodem ipsius regis genitore viam universe carnis ingresso) ipsos necnon et venerabilem fratrem nostrum W. Lichfeldensem episcopum, quem idem rex carceri detinebat, dicto Sabinensi episcopo ab eo requisitus instanter restituere distulit, asserens (prout ex dicti episcopi Sabinensis relacione percepimus) ipsum regem velle nobis super hoc per speciales nuncios respondere. Cumque postmodum dilectum filium magistrum Sytardum de Vauro, archidiaconum Corbarie in ecclesia Narbonensi, capellanum nostrum, pro ipsorum liberacione et certis aliis negociis ad ipsum regem cum nostris litteris specialiter misissemus, ipseque demum (hujusmodi litteris sibi presentatis, per ipsum receptis,) nobis per litteras regias respondit quod super liberacione vel missione dictorum episcoporum ad nostram presenciam cum proceribus regni sui, quorum presenciam propter guerram tunc in Scocia suscitatam nequibat habere, quam cicius posset intendebat habere colloquium et tractatum, supplicans ut molestam dilacionem et consilii deliberacionem hujusmodi non feremus quoniam, habito quam cicius fieri posset consilio de predictis, quicquid inoffensa regis dignitate et absque exheredacione et gravi prejudicio subjectorum suorum et suo fieri posset filiali efficere promptitudine procuraret. Sicque adhuc episcopos ipsos (quod dolentes referimus) non sine sue salutis dispendio, eterni Regis obprobrio, carceratos dicitur detinere: a quibus eciam illi quorum regitur et utitur rex ipse consilio, si ei relaxacionem prelatorum non consulunt eorumdem, non existunt immunes. Preterea alia cordi nostro de ipsius regis actibus non indigne materia magne turbacionis accrevit,

quod, sicut noticie nostre ex relacione plurium magnatum innotuit, bona que Templarii in regno suo habent, que ad ordinem ipsius Templi pertinent, si bonus reperiatur, et alias ad dicte sedis disposicionem plenariam pertinere noscuntur, et que idem rex ad manus suas ad nostram requisicionem posuerat, non absque divine majestatis offensa et dicte sedis injuria diversis personis distribuit pro sue libito voluntatis. Verum ut ordinacio de predictis et aliis bonis Templariorum ipsorum consistentibus per singulas partes orbis per nos de fratrum nostrorum consilio, presenti in Christo karissimo filio nostro Philippo rege Francorum illustri, facta dum adhuc Pictavii residenciam faceremus, vestris sensibus fiat nota, scire vos volumus quod per dictum regem personis Templariorum ipsorum, mobilibus et immobilibus bonis in regno suo consistentibus nobis liberaliter redditis et dimissis, et ab eis manu sua ad nostram requisicionem amota, ac injuncto per suas patentes et diversas litteras omnibus suis justiciariis et subditis ut illis quos ordinaremus ad recipiendum predictas personas et bona Templariorum ipsorum, quam cicius essent requisiti per eos, traderent integraliter absque fraude, ordinavimus quod certe persone idonee pro inquisicione facienda contra ordinem et Templarios memoratos super execrandis excessibus, qui per ipsos commissi dicuntur, ac bonis recipiendis ipsorum, una cum prelatis ad hoc specialiter deputatis a nobis, ad idem regnum Anglie et universas alias partes orbis specialiter mitteremus in quibus Templarii aliquid habere noscuntur, intendentes ut eidem ordinacioni in brevi effectus debitus subsequatur. Cum itaque ab intimis cupiamus quod idem rex progenitorum suorum, qui erga Deum et Romanam ecclesiam zelo devocionis accensi cultum in regnis suis augmentare divinum, tueri ecclesiasticam libertatem, ecclesias et personas ecclesiasticas regnorum ipsorum fovere et protegere curarunt, salubria eligat vestigia imitari seque ostendat emulatorem fervidum per effectum, ac ejusdem sui genitoris exemplo, qui fide preclarus in Terre Sancte subsidium transfretando pro terre defensione predicte et nostri Salvatoris injuria ulciscenda in terra ipsa plagas sustinuit duras et vulnera seque mortis periculo offerre devotis affectibus non expavit, suas dirigat actiones, eundem regem rogamus et hortamur per alias nostras litteras in Filio Dei Patris ut super liberacione prelatorum ipsorum in parliamento per eum in proximo (ut audivimus) celebrando sic salubri consilio dirigatur sicque nobis promptitudine devota respondeat, quod responsio ipsa grata in oculis divine majestatis nostrisque affectibus sit accepta: et nichilominus, concessione predictorum bonorum (si qua facta sit, que nulla est ipso

jure,) per eum sine difficultate qualibet revocata de facto (sicut de facto processit), sic in conservacione ipsorum et aliorum bonorum Templariorum eorumdem consistencium infra terminos
[Fo. 60a.] regni sui efficaciter se gerat et habeat quod persone, quas pro predictis bonis recipiendis ad idem regnum suum celeriter auctore Domino transmittemus, bona ipsa (pro dicto ordine, si ea que ipsis Templariis imponuntur inveniantur veritate carere, alioquin conservanda pro terre predicte subsidio, pro quo fuerunt a conferentibus deputata,) habere pacifice valeant et percipere fructus et redditus eorumdem, ipseque propter hoc divine majestatis, cujus agitur in hac parte negocium, non incurrat offensam et in examine districti judicii non cogatur debitam reddere racionem : aperte predicentes eidem quod, quamcumque personam suam diligamus ex corde et quantumcumque suum et regni sui statum prosperum sicut proprium cupiamus et quelibet sua et regni ejusdem adversa, que personam nostram reputamus contingere, displiceant votis nostris et libenter ipsis paternis affectibus obviamus, detencionem prelatorum et devastacionem bonorum ipsorum dissimulare salva consciencia non possemus quin circa premissa adhiberemus remedium oportunum. Quare fraternitatem vestram rogamus, monemus et hortamur attente ac per apostolica scripta vobis mandamus quatinus, ejusdem regis in hac parte precaventes oneribus et periculis plurimis, que dicto regi ac aliis quorum regitur consilio possent ex premissis emergere, obviantes sapienter, [apud] ipsum regem ob divinam et apostolice sedis ac nostram reverenciam pro liberacione prelatorum ipsorum ac super concessione hujusmodi (si qua facta sit, que nulla est ipso jure, revocanda de facto sicut de facto processit,) et dictorum subornacione bonorum vestre prudencie studium efficaciter apponatis ipsumque ad id vestro consilio salubriter dirigatis ; ita quod ex hoc rex ipse divine majestatis vitet offensam et dicte sedis ac nobis materiam turbacionis juste non preparet, cum premissa non possemus conniventibus oculis pertransire, vosque a Domino proinde premium consequi valeatis et prefate sedis ac nostram possitis benedictionem et graciam vobis non immerito vendicare. Ceterum quia in adventu capellani predicti ad nostri apostolatus presenciam venerabilis frater noster Arnaldus Pictaviensis episcopus, quem ad regnum predictum pro ipsius regis ac baronum regni predicti pace transmisimus, jam recedens de Curia versus partes ipsas arripuerat iter suum, litteras eidem regi ac vobis nonnullisque aliis prelatis et baronibus transmisimus per eundem dicto regi ac vobis et ipsis presentandas, sibique mandavimus quod

apud eundem regem et vos ac eosdem prelatos et barones super premissis efficaciter laboraret. Data apud Silvam Majorem, Burdegalensis diocesis, iiij^to^ nonas Octobris pontificatus nostri anno tercio.

[*A debt to the Executors of John de Lovetot, senior.*]

BREVE REGIUM.—LOVETOT.

Rex etc. episcopo Karleoli, salutem. Mandamus vobis, sicut alias, quod de bonis ecclesiasticis Nicholai de Lovetot, clerici vestri, in diocesi vestra fieri faciatis C l libras et illas habeatis coram justiciariis nostris apud Westmonasterium a die Pasche in xv dies ad reddendum Nicholao de Sparkeford, Thome de Bynington et Johanni de Borham, executoribus testamenti Johannis de Lovetot senioris, de sexcentis libris, quas idem Nicholaus de Lovetot in curia domini E. regis, patris nostri, coram justiciariis suis apud Westmonasterium in octabis Sancte Trinitatis anno regni sui decimo octavo cognovit se debere eidem Johanni de Lovetot: et unde ei reddidisse debuit in crastino Animarum proximo sequente, C libras; et in crastino Purificacionis Beate Marie anno regni predicti regis, patris nostri, xix°, C libras; et ad festum Pasche proximo sequens, C libras; et in octabis Sancti Michaelis proximo sequentibus, L libras; et a die Pasche in xv dies anno regni predicti regis, patris nostri, xx^mo^, L libras; et in octabis Sancti Michaelis proximo sequentibus, L libras; et a die Pasche in xv dies anno regni predicti regis, patris nostri, xxj^mo^, L libras; et in octabis Sancti Michaelis proximo sequentibus, L libras; et a die Pasche in xv dies anno regni predicti regis, patris nostri, xxij°, L libras. Et illas ei nondum reddidit, ut dicunt. Et unde vos ipsi mandastis justiciariis nostris apud Westmonasterium a die Sancti Michaelis in v dies, quod sequestrastis in manum nostram pro debito nostro per breve nostrum de scaccario omnia bona ecclesiastica predicti Nicholai in diocesi vestra existencia. Et sciatis quod, nisi hoc mandatum nostrum diligencius exequamini, graviter ad vos capiemus. Et habeatis ibi hoc breve. Teste R. de Hengham apud Westmonasterium, xxviij die Januarii anno regni nostri secundo.

RETORNUM.—De bonis ecclesiasticis Nicholai de Lovetot, clerici, nichil ad presens facere possumus eo quod habemus breve regium de scaccario ad levandum de bonis ecclesiasticis ejusdem ad opus domini nostri regis C libras, que vix infra biennium levari poterunt de eisdem.

[*For provisions received by the Bishop from the King's clerk.*]

LITTERA OBLIGATORIA DOMINO JACOBO DE DALILEGH.

Pateat universis quod nos J., miseracione divina Karleolensis episcopus, tenemur domino Jacobo de Dalilegh, clerico domini nostri regis, in xl libris sterlingorum pro victualibus emptis et receptis ab eodem, solvendis eidem vel suo certo attornato presentes litteras deferenti apud Karleolum terminis infrascriptis: videlicet, medietatem ad festum Sancti Michaelis a data presencium proximo futurum et aliam medietatem ad festum Pasche proximo sequens. Ad quam quidem solucionem, ut premittitur, fideliter faciendam obligamus nos, executores nostros, ac omnia bona nostra ubicunque fuerint inventa. In cujus rei testimonium sigillum nostrum presentibus duximus apponendum. Data apud Rosam, v^to^ die Aprilis anno regni regis E. filii regis E. secundo.

[*Appointment of proctors to represent the clergy of the diocese of Carlisle at the Parliament to be held at Westminster.*]

Universis pateat per presentes quod nos, clerus Karleolensis diocesis, ad interessendum in parliamento domini nostri regis, a die Pasche in unum mensem apud Westmonasterium celebrando, una cum ceteris prelatis, proceribus, magnatibus, ac clero regni Anglie, et ad faciendum et consenciendum hiis que tunc ibidem de communi consilio pro utilitate dicti regni contigerit ordinari, dilectos nobis in Christo magistrum Adam de Appelby, clericum, et dominum Robertum de Meburn, concanonicum de Lanercost, procuratores nostros speciales facimus et constituimus per presentes: ratum et gratum habentes et habituri quicquid iidem procuratores nostri nomine nostro, ut premittitur, duxerint faciendum. In cujus rei testimonium sigillum venerabilis patris Johannis, Dei gracia Karleolensis episcopi, procuravimus hiis apponi. Date Karleoli, xiij kalendas Maii anno Domini M° CCC^mo^ nono.

[Fo. 6ob.]

[*The Bishop excuses himself for several reasons from attending the present Parliament, and sends a proctor in his stead.*]

LITTERA MISSA DOMINO REGI.

Magnifico principi ac domino suo excellenti domino E., Dei gracia regi Anglie illustri, domino Hybernie, et duci Aquitannie, Johannes, ejusdem miseracione Karleolensis episcopus, salutem in Eo cui servire perhenniter est regnare. Litteris vestris regiis de

veniendo ad parliamentum vestrum apud Westmonasterium a die Pasche in unum mensem juxta Karleolum in crastino clausi Pasche reverenter receptis, ad dictum parliamentum, tum propter loci distanciam, temporis brevitatem, timorem invasionis Scotorum, necnon corporis infirmitatem, qua affligimur, venire non possumus in presenti, ex causis predictis veraciter impediti: quod pro malo, si placet, non habeat regia celsitudo, immo nos pocius dignetur habere benignius excusatos. Ad interessendum siquidem in dicto parliamento nomine nostro et pro nobis ad tractandum una cum ceteris prelatis, proceribus et magnatibus regni vestri in eodem et ad consenciendum hiis que ibidem unanimiter contigerit ordinari, dilectum clericum nostrum magistrum Adam de Appelby, latorem presencium, procuratorem nostrum constituimus et attornatum facimus specialem; ratum et gratum habentes et habituri quicquid idem clericus noster in premissis nomine nostro duxerit faciendum. Data apud Rosam, xiij kalendas Maii anno Domini millesimo trecentesimo nono.

[*Power of Attorney to take possession of the Bishop's manor of Meldreth (Cambs.) and let the same on lease.*]

Universis pateat per presentes quod nos Johannes, miseracione divina Karleolensis episcopus, ad recipiendum de Johanne Trayli, de Meleburne, manerium nostrum de Melreth et eciam omnia alia bona nostra, de quibus in litteris inter nos et dictum Johannem indentatis plenius continetur, et ad ordinandum de predicto manerio et illud dimittendum ad firmam, prout nobis magis viderit expedire, dilectum clericum nostrum, magistrum Adam de Appelby, procuratorem nostrum sive attornatum specialem ordinamus et facimus per presentes: ratum habentes et gratum quicquid idem nostro nomine in premissis duxerit faciendum. In cujus rei testimonium presentibus sigillum nostrum est appensum. Data apud Rosam, xv^mo^ kalendas Maii anno Domini M° CCC^mo^ nono.

[Aspatria V.—*Collation of Alan de Horncastle, with the reservation to the Bishop of lands and tithes in the parish hitherto accustomed.*]

Institucio domini Alani de Horncastro in vicaria de Aspatrik.

Johannes, miseracione divina Karleolensis episcopus, dilecto in Christo filio domino Alano de Horncastro, presbitero, salutem, graciam et benedictionem. Vicariam ecclesie parochialis de Aspatrik, nostre diocesis, vacantem et ad nostram collacionem

spectantem, tibi conferimus intuitu caritatis teque vicarium perpetuum in forma juris instituimus in eadem : salvis nobis terris et decimis majoribus et minoribus infra parochiam ecclesie de Aspatrik antedicte hactenus consuetis et ecclesie nostre cathedralis Karleoli et nostra in omnibus dignitate. Data apud Rosam, vij° kalendas Maii anno Domini M° CCC^mo^ nono et pontificatus nostri septimodecimo.

Eodem die missa fuit littera inductionis domino archidiacono Karleoli.

[*The Abbot and Convent of Shap assent to the Bishop's ordinance for a vicarage in his confirmation of the appropriation to them of the church of Warcop.*]

SUBMISSIO ABBATIS ET CONVENTUS DE HEPP DE ECCLESIA DE WARTHECOPP.

Reverendo patri in Christo domino Johanni, Dei gracia episcopo Karleolensi, sui devoti filii abbas et conventus Vallis Magdalene de Hepp, salutem, reverenciam, obedienciam et honorem. Paternitatem vestram nobis merito predilectam credimus non latere qualiter vir nobilis dominus Robertus de Clifford, nostri monasterii advocatus, considerans collaciones progenitorum suorum esse tenues et exiles ad subportanda onera que incumbunt, advocacionem ecclesie de Warthecopp, vestre diocesis, cum suis juribus et pertinenciis ex assensu memorie venerande Edwardi, illustris regis Anglie, nobis contulerit intuitu caritatis ac ab eodem appropriacionis licenciam, quantum in ipso fuerat, procuraverit graciose, sicut in instrumentis nostris ipsimet vidistis plenius contineri. Cum igitur totus appropriacionis illius effectus ex vestra dependeat gracia speciali, nos, de vestre dominacionis benivolencia confidentes, advocacionem ecclesie memorate ac ordinacionem vicarie in eadem (ex mero consensu et unanimi nostri capituli) ac nos ipsos, tanquam patronos ecclesie sepedicte, vestre ordinacioni submittimus per presentes; ipsi vestre dominacioni, nobis semper benivole, humiliter supplicantes quatenus ad Dei honorem, nostre exilitatis subsidium et levamen dignemini de dicta ecclesia et suis pertinenciis, salva indempnitate ecclesie cathedralis Karleoli ac jurisdictionis vestre episcopalis in omnibus, ordinare : ratum et firmum habituri quicquid in premissis Domino inspirante duxeritis ordinandum. In cujus rei testimonium sigillum capituli nostri presentibus est appensum. Data in abbathia de Hepp, septimodecimo kalendas Maii anno Domini millesimo trecentesimo nono.

[Fo. 61a.]

[*Commutation of vows for a money payment in aid of a projected expedition of the Knights Hospitallers to the Holy Land.*]

TRANSCRIPTUM BULLE SUPER REDDICIONE VOTORUM.

Universis presens scriptum inspecturis officialis Karleolensis, salutem in Domino sempiternam. Noveritis nos vidisse ac de verbo ad verbum diligencius legisse quasdam litteras sanctissimi patris domini nostri, domini Clementis pape Quinti, non cancellatas, non abrasas, non abolitas, nec viciatas in aliqua parte sui, set vera bulla plumbea filo canapis more curie Romane pendente bullatas, tenoris et continencie infrascripte. Clemens episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis et episcopis ad quos littere iste pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem. Gerentes cordi negocium Terre Sancte ac intendentes solicite ad promocionem passagii quod per dilectos filios, magistros et fratres Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani, in vernali tempore proximo futuro providimus faciendum et per ipsos prosequendum Deo duce per quinquennium secuturum, optinentes quoque de vestre circumspectionis industria fiduciam in Domino specialem, vobis et vestrum singulis commutandi dicto durante quinquennio cujusvis abstinencie et quarumcunque peregrinacionum vota (ultramarino dumtaxat excepto) in pecuniarium subsidium prestitum magistro et fratribus vel eorum procuratori pro dicto passagio exhibendo, cum super hoc ab eis vel eodem procuratore fueritis requisiti, dummodo condicione inspecta vovencium ac dicti passagii necessitate pensata, super quibus vestram conscienciam oneramus, precio vel precibus, amicicia, favore vel odio cujuscunque, nil citra hec super quibus faciat se unusquisque vestrum in examine districti judicii racionabilem agatur in fraudem vel diminucionem subsidii supradicti, plenam et liberam auctoritate presencium concedimus facultatem. Volumus autem ut hujusmodi pecuniarium subsidium prestandum, videlicet per voventes peregrinaciones easdem, ad tantam summam pecunie extendatur quantam voventes ipsi pro complendo voto peregrinacionis ejusdem personaliter expendissent; votum auctoritate hujusmodi abstinencie juxta illius arbitrium intendimus redimi, qui votum hujusmodi commutabit. De pecunia vero que habebitur pretextu concessionis hujusmodi fiat, quo ad tradicionem ipsius pecunie faciendam procuratori predicto et quo ad confectionem litterarum recepcionis dicte pecunie, necnon ad certificacionem camerarii nostri de tradite ipsi procuratori pecunie quantitate, sicut de alia pecunia que reponetur in archis vel truncis juxta ordinacionem contentam in aliis vestris litteris indulgenciali-

bus pro negocio passagii predicti concessis apercius continetur. Data Pictavii, iij idus Augusti pontificatus nostri anno tercio. In cujus rei testimonium sigillum officii nostri presentibus duximus apponendum. Datum etc.

[*Clergy in minor orders, who are promoted to benefices on condition that they proceed to the order of the priesthood in one year, shall not be compelled to do so for five years, provided they give one year's profits to the Hospitallers for the Holy Land.*]

TRANSCRIPTUM BULLE DE NON SUSCIPIENDIS ORDINIBUS AD QUINQUENNIUM.

Universis presens scriptum inspecturis officialis Karleolensis, salutem in Domino sempiternam. Noveritis nos vidisse ac de verbo ad verbum diligencius legisse quasdam litteras sanctissimi patris domini nostri, domini Clementis pape Quinti, non cancellatas, non abrasas, non abolitas, nec viciatas in aliqua parte sui, set vera bulla plumbea filo canapis more curie Romane pendente bullatas, tenoris et continencie infrascripte. Clemens episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis et episcopis ad quos littere iste pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem. Dignum reputamus et congruum ut eos qui ad Christi obsequia prosequenda se offerunt specialibus graciis honoremus. Intendentes igitur ut passagium quod per dilectos filios, magistrum et fratres Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani, in vernali tempore proximo futuro in subsidium Terre Sancte providimus faciendum et prosequendum Deo duce per quinquennium secuturum, tanto libencius personarum ecclesiasticarum fulciatur auxilio quanto magis persone ipse favorem apostolicum senciant graciosum, dispensandi cum quibuscunque ad regimen parochialium ecclesiarum assumptis vel usque ad dictum quinquennium assumendis qui infra quinquennium ipsum fructus unius anni ecclesie parochialis quam singuli optinent eorum vel infra dictum quinquennium optinebunt, racione cujus haberent infra annum ad presbiteratum promoveri, dictis magistro et fratribus vel eorum procuratori pro subsidio dicti passagii exhibebunt, quod ipsi, dummodo infra annum ordinem subdiaconatus recipiant, non teneantur usque ad quinquennium a tempore hujusmodi suscepti regiminis racione ipsius ecclesie ad sacerdocium promoveri nec ad id a quoquo compelli possint inviti, qualibet confectione contraria non obstante, quocienscunque a prefato procuratore fueritis requisiti, plenam vobis et singulis vestrum concedimus auctoritate presencium facultatem. De pecunia vero que habebitur pretextu concessionis hujusmodi fiat, quo ad tradic-

ionem ipsius pecunie faciendam procuratori predicto et quo ad confectionem litterarum recepcionis dicte pecunie, necnon et quantum ad certificacionem camerarii nostri de tradite ipsi procuratori pecunie quantitate, sicut de alia pecunia que reponitur in archis vel truncis juxta ordinacionem contentam in aliis vestris litteris indulgencialibus pro negocio passagii predicti concessis apercius continetur. Data Pictavii, iij idus Augusti pontificatus nostri anno tercio. In cujus rei testimonium sigillum officii nostri presentibus duximus apponendum. Datum etc.

[Fo. 61b.]

[Bampton V.—*Resignation, through age and infirmity, of Roger de Barton.*]

Resignacio vicarie de Bampton.

Reverendo patri in Christo domino J., Dei gracia Karleolensi episcopo, suus devotus filius frater Rogerus de Barton, perpetuus vicarius ecclesie de Bampton in Westmeria, salutem, reverenciam, obedienciam et honorem. Gravi corporis invalitudine cum aliis incomodis que senem inconveniunt perurgente, onus michi impositum non valens de cetero sustinere, vicariam ecclesie memorate mera et spontanea voluntate in vestre resigno manibus sanctitatis, dominacionem vestram rogans humiliter et requirens quatinus, impotenciam meam pietatis oculis intuentes, me vestrum a predicta cura misericorditer absolvatis et abbati nostro, si placet, in caritatis visceribus commendetis. Valeat reverenda paternitas vestra per tempora longiora. Data apud Hepp, die Sanctorum Philippi et Jacobi anno Domini M° CCC^mo^ nono.

[*The Abbot and Convent of Shap present John de Appelby.*]

Presentacio ejusdem.

Venerabili in Christo patri domino J., Dei gracia Karleolensi episcopo, sui devoti filii abbas et conventus Vallis Magdalene de Hepp, salutem, obedienciam, reverenciam et honorem. Ad vicariam ecclesie de Bampton, in Westmeria, per resignacionem spontaneam fratris Rogeri de Barton, dudum vicarii ejusdem, vacantem et ad nostram presentacionem spectantem, dilectum nobis in Christo fratrem Johannem de Appelby, canonicum nostrum, vestre care paternitati tenore presencium presentamus, vestre dominacioni attencius supplicantes quatinus, personam presentati favorabiliter admittentes, dictam vicariam eidem conferre dignemini graciose. Data apud Hepp, die Sancti Johannis ante portam Latinam anno Domini millesimo trecentesimo nono.

[*Institution of the presentee.*]

INSTITUCIO FRATRIS JOHANNIS DE APPELBY IN VICARIAM DE BAMPTON.

Johannes, miseracione divina Karleolensis episcopus, dilecto in Christo filio, fratri Johanni de Appelby, salutem, graciam et benedictionem. Ad vicariam ecclesie parochialis de Bampton, nostre diocesis, vacantem, ad quam per religiosos viros abbatem et conventum de Hepp, veros patronos ejusdem, nobis presentatus existis, te admittimus intuitu caritatis et perpetuum vicarium instituimus in eadem : salva ecclesie nostre cathedralis in omnibus dignitate. Data apud Rosam, nonis Maii anno Domini M° CCC^mo nono et pontificatus nostri septimodecimo.

Eodem die fuit littera inductionis directa domino archidiacono Karleoli pro eodem.

[*Ordination at Stanwix, May 24, 1309.*]

CELEBRACIO ORDINUM DOMINI JOHANNIS DEI GRACIA KARLEOLENSIS EPISCOPI IN ECCLESIA PAROCHIALI DE STEYNWEGGES DIE SABATI QUATUOR TEMPORUM MENSE MAII ANNO DOMINI MILLESIMO TRECENTESIMO NONO ET PONTIFICATUS SUI SEPTIMODECIMO.

ACOLITI.

Frater Willelmus de Lonkeland, de ordine Predicatorum.
Johannes de Neuton.
Ricardus de Brampton.
Willelmus de Leysingby.
Petrus de Kirkoswald.
Ricardus de Graystok.

SUBDIACONI.

Johannes de Skelton, ad titulum quinque marcarum sibi per cartam domini Ricardi de Kirkebrid, militis, concessarum : in judicio exhibitam et probatam.

Thomas de Crosseby, ad titulum quadraginta solidorum sibi per cartam Willelmi de Smerdal concessorum : in judicio exhibitam et probatam.

Ricardus filius Ricardi Wayte, de Karleolo, ad titulum quatuor marcarum sibi per cartam Henrici Fourbour, de Karleolo, concessarum : in judicio exhibitam et probatam.

Frater Willelmus de Lonkeland, de ordine Predicatorum.

2.10.72

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

DA
670
C3R3
1909
pt.2

Carlisle, Eng. (Diocese)
Bishop, 1292-1324 (John of Halton)
The register of Bishop John de Halton